# OFFICIA [illegible] NTA

I A N

XIIII. Sanctiſsimi N [illegible] Diœceſ. &c Religion.

XXIX. S.Petri Nola [illegible] Rom.add.

F E B

IIII. S.Andreæ Corſ [illegible]

N

IIII. Coronæ Domini.

XV. S.Iſidori Agricolæ, cum octaua in Regno utriuſque Caſtellæ.

I

XXXI. Ignatij Confeſ. [illegible] Breuiar.Rom.adden.

A V

XVI. Rochi Confeſſ.

S E P

XVII. De Nomine Mariæ,

XVIII. S.Thomæ à Villanoua, ad libitum.

D E

III. S.Franciſci Xauerij, Breuiar.Rom.add.

VIII. Officium Conceptionis cum Octaua, dup.2.claſ.

Patrocinium B.Mariæ Virginis.

# OFFICIA HIC CONTENTA.

IANVARIVS.

XIIII. Sanctiſsimi Nominis Ieſu in multis Diœceſ. & Religion.

XXIX. S.Petri Nolaſco, ſemid. Breuiar.Rom.add.

FEBRVARIVS.

IIII. S.Andreæ Corſino, ſemid. ad libitum.

MAIVS.

IIII. Coronæ Domini.

XV. S.Iſidori Agricolæ, cum octaua in Regnis vtriuſque Caſtellæ.

IVLIVS.

XXXI. Ignatij Confeſſ. dup. Breuiar.Rom.adden.

AVGVSTVS.

XVI. Rochi Confeſſ.

SEPTEMBER.

XVII. De Nomine Mariæ, dup.maj.

XVIII. S.Thomæ à Villanoua, ſemid. ad libitum.

DECEMBER.

III. S.Franciſci Xauerij, ſemid. Breuiar.Rom.add.

VIII. Officium Conceptionis cum Octaua, dup.2.claſ. Patrocinium B.Mariæ Virginis.

# DIE XIIII. IANVARII.

In feſto Sanctiſsimi Nominis Ieſu. Duplex 2. claſs.

Ad Veſperas, Antiphona.

OMnis qui inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit. Pſalmus Dixit Dominus. cum reliquis de Dominica: & loco vltimi Pſalmus, Credidi. Añ. Sanctū & terribile nomen eius, initium ſapientiæ timor Domini. Antiph. Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Ieſu meo. Antiph. A ſolis ortu vſque ad occaſum, laudabile nomē Domini. Antiphona. Sacrificabo hoſtiam laudis, & nomen Domini inuocabo.

Capitulum. *Philip.* 2.

FRatres, Chriſtus humiliauit ſemetipſum, factus obediēs vſque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen: vt in nomine Ieſu omne genu flectatur.

Hymnus.

IEſu dulcis memoria,
Dans vera cordi gaudia:
Sed ſuper mel, & omnia,
Eius dulcis præſentia.
Nil canitur ſuauius,
Nil auditur iucundius,
Nil cogitatur dulcius,
Quàm Ieſus Dei Filius.
Ieſu ſpes pœnitentibus,
Quam pius es petentibus!
Quàm bonus te quærētibus!
Sed quid inuenientibus?
Nec lingua valet dicere,
Nec littera exprimere:
Expertus poteſt credere,
Quid ſit Ieſum diligere.
Sis Ieſu noſtrum gaudium,
Qui es futurus præmium:
Sit noſtra in te gloria,
Per cuncta ſemper ſæcula,
Amen.

℣. Sit nomen Domini benedictum, alleluia. ℟. Ex hoc nūc & vſque in ſæculum, alleluia.

Ad Magnificat, Antiphona.

Fecit mihi magna qui potēs eſt, & ſanctum nomē eius, alleluia.

Oratio.

DEus, qui Vnigenitum Filium tuum conſtituiſti humani generis Saluatorem, & Ieſum vocari iuſsiſti: cōcede propitius; vt cuius ſanctum nomen veneramur in terris, eius quoque aſpectu perfruamur in cælis. Per eumdem Dominum.

Fit commemoratio Octauæ Epiphaniæ tantum.

Ad Completorium, & alias Horas diei, in fine Hymnorum dicitur, Ieſu, tibi ſit gloria, Qui natus es de Virgine.

Ad Matutinum, inuitatorium. Admirabile nomen Ieſu, quod eſt ſuper omne nomen, *Venite adoremus. Pſalmus. Venite, exultemus.

Hymnus.

IEſu Rex admirabilis,
Et triumphator nobilis,
Dulcedo ineffabilis,
Totus deſiderabilis.
Quando cor noſtrum viſitas,
Tunc lucet ei veritas,
Mundi vileſcit vanitas,
Et intus feruet charitas.
Ieſu dulcedo cordium,
Fons viuus, lumen mētium,
Excedens omne gaudium,
Et omne deſiderium.
Ieſum omnes agnoſcite,
Amorem eius poſcite;
Ieſum ardenter quærite,
Quærendo inardeſcite.
Te noſtra Ieſu vox ſonet,
Noſtri te mores exprimant,
Te corda noſtra diligant,
Et nūc & in perpetuū. Amē.

In primo Nocturno, Antiphon. Domine Dominus noſter, quā admirabile eſt nomen tuum in vniuerſa terra! Pſalm. Domine Dominus noſter. cum reliquis, vt in Officio paruo Beatæ Mariæ. Pſalmus verò ille incipitur à ſecundo ℣. Quoniā eleuata eſt. Antiphon. In nomine Ieſu omne genu flectatur cæleſtium, terreſtrium, & infernorū. Pſalmus. Cæli enarrant. Antiph. Cōfitemini Domino, & inuocate nomen eius, memētote quoniam excelſum eſt nomen eius. Pſalmus Domini eſt terra. ℣. Propter nomen tuum Domine, propitiaberis peccato meo. ℟. Multū eſt enim.

De Actibus Apoſtolorum.

Lectio j. *Cap.* 3.

PEtrus autem & Ioannes aſcendebant in templum ad horā orationis nonam. Et quidā vir, qui erat claudus ex vtero matris ſuæ, baiulabatur: quē ponebant quotidie ad portam templi, quæ dicitur Specioſa, vt peteret eleemoſynam ab introeuntibus in tēplum. Is cùm vidiſſet Petrum & Ioannem incipientes introire in templum, rogabat vt eleemoſynam acciperet. Intuens autē in eum Petrus cum Ioanne, dixit: Reſpice in nos. At ille intendebat in eos, ſperans ſe aliquid accepturum ab eis. Petrus autem dixit: Argentum & aurum nō eſt mihi: quod autem habeo, hoc tibi do: In nomine Ieſu Chriſti Nazareni ſurge, & ambula. Et apprehenſa manu eius dextera, alleuauit eum, & protinùs conſolidatæ ſunt baſes eius, & plātæ. Et exiliens ſtetit, & ambulabat: & intrauit cum illis in tēplum ambulans, & exiliens, & laudans Deum.

℟. Ecce concipies & paries filium, & vocabis nomē eius Ieſum: *Ipſe enim ſaluū faciet populum ſuum à peccatis eorū. ℣. Vocatum eſt nomē eius Ieſus, quod vocatum eſt ab Angelo, priuſquam in vtero côciperetur. * Ipſe.

Lectio ij.

ET vidit omnis populus eū ambulantem, & laudātem Deum. Cognoſcebant autem illū, quòd ipſe erat qui ad eleemoſynam ſedebat ad Specio-

ſam

ſam portam templi: & impleti ſunt ſtupore & extaſi, in eo quod cõtigerat illi. Cùm teneret autem Petrum & Ioãnem, cucurrit omnis populus ad eos ad porticum quæ appellatur Salomonis, ſtupentes. Videns autem Petrus reſpondit ad populum: Viri Iſraelitæ, quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini, quaſi noſtra virtute, aut poteſtate fecerimus hunc ambulare? Deus Abrahã, & Deus Iſaac, & Deus Iacob, Deus patrum noſtrorũ glorificauit Filium ſuum Ieſum, quẽ vos quidem tradidiſtis, & negaſtis ante faciem Pilati, iudicante illo dimitti. Vos autem ſanctum & iuſtum negaſtis, & petiſtis virũ homicidam donari vobis: auctorem verò vitæ interfeciſtis, quem Deus ſuſcitauit à mortuis, cuius nos teſtes ſumus. Et in fide nominis eius, hunc, quẽ vos vidiſtis, & noſtis, confirmauit nomen eius: & fides, quæ per eum eſt, dedit integrã ſanitatem iſtam in conſpectu omnium veſtrum.

℟. Benedictum eſt nomen tuum, Deus patrum noſtrorum, qui cùm iratus fueris, miſericordiæ recordaberis, * Et in tempore tribulationis peccata dimittis.

℣. Et benedictum nomen maieſtatis tuæ in æternum, qui facis mirabilia ſolus. * Et in tempore.

Lectio iii. *Cap. 4.*

FActum eſt autem in craſtinũ, vt congregarentur principes eorũ, & ſeniores, & Scribæ in Ieruſalem; & Annas princeps Sacerdotum, & Caiphas, & Ioannes, & Alexander, & quotquot erant de genere ſacerdotali. Et ſtatuentes eos in medio interrogabant: In qua virtute, aut in quo nomine feciſtis hoc vos? Tunc repletus Spiritu ſancto Petrus, dixit ad eos: Principes populi, & ſeniores audite: Si nos hodie diiudicamur in benefacto hominis infirmi, in quo iſte ſaluus factus eſt, notum ſit omnibus vobis, & omni plebi Iſraël: quia in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti Nazareni, quem vos crucifixiſtis, quem Deus ſuſcitauit à mortuis, in hoc iſte aſtat coram vobis ſanus. Hic eſt lapis, qui reprobatus eſt à vobis ædificantibus, qui factus eſt in caput anguli: & non eſt in alio aliquo ſalus. Nec enim aliud nomen eſt ſub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri.

℟. Laudabo nomen tuum aſſiduè, * Et collaudabo illud in cõfeſsione. ℣. Lætabor, & exultabo in te: pſallã nomini tuo Altiſsime. * Et collaudabo. Gloria Patri. * Et collaudabo.

Iñ ſecundo Nocturno, Antiph. Memores erunt nominis tui Domine, in omni generatione & generationem. Pſalm. Eructauit. Antiph. Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen eius in idipſum. Pſalmus. Deus noſter refugiũ. Antiph. Omnes Gentes quaſcumque feciſti venient, & adorabunt coram te Domine: & glorificabunt nomen tuum. Pſalmus. Fundamẽta eius. ℣. Propter gloriam nominis tui Domine libera nos. ℟. Et propitius eſto peccatis noſtris propter nomen tuum.

Sermo Sancti Bernardi Abbat. *Ser. 15. ſuper Cãtica, circa mediũ.*

Lectio iiii.

NOn otioſè Spiritus ſanctus nomen ſpõſi oleo comparat, cùm ita docet ſponſam ad ſponſum clamare: Oleum effuſum nomẽ tuum. Oleum enim lucet, paſcit, & vngit. Fouet ignem, nutrit carnem, lenit dolorem: lux, cibus, medicina. Vide idem nunc & de ſponſi nomine. Lucet prædicatum, paſcit recogitatum, inuocatũ lenit, & vngit. Et percurramus ſingula. Vnde putas in toto orbe tanta & tam ſubita fidei lux, niſi de prædicato nomine Ieſu? Nonne in huius nominis luce Deus nos vocauit in admirabile lumen ſuum, quibus illuminatis, & in lumine iſto videntibus lumen, dicat meritò Paulus: Fuiſtis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino?

℟. Sperent in te, qui nouerunt nomen tuum: * Quoniam non dereliquiſti quærentes te Domine. ℣. Exurge Domine, adiuua nos, & libera nos propter nomen tuum. * Quoniam.

Lectio v.

HOc denique nomen coram regibus, & gentibus, & filius Iſrael portare iuſſus eſt idẽ Apoſtolus; & portabat nomen tamquam lumẽ, & illuminabat patriam, & clamabat vbique: Nox præceſsit, dies autem appropinquauit. Abiiciamus ergo opera tenebrarũ, & induamur arma lucis; ſicut in die honeſtè ambulemus. Et mõſtrabat omnibus lucernam ſuper candelabrum, annuntians in omni loco Ieſum, & hunc crucifixũ. Quomodo lux iſta reſplenduit, ac perſtrinxit cunctorum intuentium oculos, quãdo de ore Petri, tamquam fulgur egrediẽs, claudi vnius corporales plantas ſolidauit & baſes, multoſque ſpiritualiter cęcos illuminauit? Numquid non ignem ſparſit cùm ait: In nomine Ieſu Chriſti Nazareni ſurge, & ambula?

℟. Confiteamur nomini tuo magno, * Quoniam terribile & ſanctum eſt. ℣. Hi in curribus, & hi in equis, nos autem in nomine Domini Dei noſtri inuocabimus. Quoniam.

Lectio vi.

NEc tantùm lux eſt nomen Ieſu, ſed eſt & cibus. An non toties confortaris, quoties re-

recordaris? Quid æquè mentem cogitantis impinguat? Quid ita exercitatos reparat ſenſus, virtutes roborat, vegetat mores bonos atque honeſtos, caſtas fouet affectiones? Aridus eſt omnis animæ cibus, ſi non oleo iſto infunditur. Inſipidus eſt, ſi non hoc ſale conditur. Si ſcribas, non ſapit mihi, niſi legero ibi Ieſum. Si diſputes, aut conferas, non ſapit mihi, niſi ſonuerit ibi Ieſus. Ieſus mel in ore, in aure melos, in corde iubilus. Sed eſt & medicina. Triſtatur aliquis noſtrum? Veniat in cor eius Ieſus, & inde ſaliat in os. Et ecce ad exortũ nominis lumen, nubilum omne diffugit, redit ſerenum. Labitur quis in crimen? currit inſuper ad laqueũ mortis deſperando? Nonne, ſi inuocet nomen vitæ, confeſtim reſpirabit ad vitam?

℟. Lætentur omnes, qui ſperant in te Domine, in æternum exultabunt, & habitabis in eis, & gloriabuntur in te omnes, * Qui diligunt nomen tuum. ℣. Domine in lumine vultus tui ambulabunt, & in nomine tuo exultabunt tota die. * Qui diligunt. Gloria Patri. * Qui diligunt.

In tertio Nocturno, Antiphon.

Cantate Domino, & benedicite nomini eius: annuntiate de die in diẽ ſalutare eius. Pſalm. Cantate. j. Antiphona. Secũdùm nomen tuum Deus, ſic & laus tua in fines terræ: iuſtitia plena eſt dextera tua. Pſalm. Dominus regnauit, exultet. Antiph. Cantate Deo, pſalmũ dicite nomini eius: iter facite ei, qui aſcendit ſuper occaſum, Dominus nomen illi. Pſalmus. Cantate. ij. ℣. Afferte Domino gloriam & honorem. ℟. Afferte Domino gloriam nomini eius.

Lectio ſancti Euangelij ſecundùm Lucam.

Lectio vij *Cap. 2. b*

IN illo tempore: Poſtquam conſummati ſunt dies octo, vt circumcideretur puer: vocatum eſt nomen eius Ieſus. Et reliqua.

Homilia ſancti Bernardi Abb.

*Serm. 1. de Circumciſione.*

MAgnum & mirabile ſacramentum. Circumciditur puer, & vocatur Ieſus. Quid ſibi vult iſta connexio? Circũciſio nempè magis ſaluandi, quàm Saluatoris eſſe videtur: & Saluatorem circũcidere potiùs decet, quàm circũcidi. Sed agnoſce mediatorẽ Dei & hominum, qui ab ipſo natiuitatis ſuæ exordio diuinis humana ſociat, ima ſummis. Naſcitur ex muliere, ſed cui fecunditatis fructus ſic accedat; vt non decidat flos virginitatis. Pannis inuoluitur: ſed panni ipſi Angelicis laudibus honorantur. Abſconditur in præſepio: ſed proditur radiãte ſtella de cœlo.

Sic



Sic & circumciſio veritatẽ ſuſceptæ probat humanitatis; & nomen, quod eſt ſuper omne nomen, gloriam indicat maieſtatis. Circumciditur tamquam verus Abrahæ filius, Ieſus vocatur tamquam Filius Dei.

℟. Tribulationem & dolorem inueni, * Et nomen Domini inuocaui. ℣. Turris fortiſſima nomen Domini, in ipſo ſperaui, & adiutus ſum. Et nomen. Benedictio. Diuinum auxiliũ.

Lectio viij.

NEque enim ad inſtar priorum meus iſte Ieſus nomen vacuum aut inane portat. Non eſt in eo magni nominis vmbra, ſed veritas. Cælitus ſiquidem inditum nomen Euangeliſta teſtatur, quod vocatum eſt ab Angelo, priuſquam in vtero conciperetur. Et attende verbi profunditatem: Poſtquam natus eſt Ieſus, Ieſus vocatur ab hominibus, qui vocatus eſt ab Angelo, priuſquam in vtero conciperetur. Idem quippè & Angeli Saluator, & hominis; ſed hominis ab Incarnatione, Angeli ab initio creaturæ. Vocatum eſt, ait, nomen eius Ieſus, quod vocatum eſt ab Angelo. In ore ergo duorum, vel trium teſtium ſtat omne verbũ, & ipſum, quod in Propheta abbreuiatum, manifeſtius in Euãgelio legitur, caro factum. ℟. Expectabo nomen tuũ Domine, * Quoniam bonum eſt in conſpectu ſanctorum tuorũ. ℣. Vt confiteamur nomini ſancto tuo, & gloriemur in laude tua. * Quoniam. Gloria. * Quoniã.

Nona Lectio de S. Felice m.

Pro Eccleſijs in quibus hoc Feſtum eſt titulare.

Lectio ix.

MEritò ſanè, dum circumciditur puer qui natus eſt nobis, Saluator vocatur, quòd videlicet ex hoc iam cœperit operari ſalutem noſtrã, immaculatum illum pro nobis ſanguinem fundens. Neque enim iam quærere eſt Chriſtianis, cur voluerit Dominus Chriſtus circumcidi. Propter hoc ſiquidem circumciſus eſt, propter quod natus, propter quod paſſus. Nihil horum propter ſe, ſed omnia propter electos. Nec in peccato genitus, nec à peccato circumciſus, nec mortuus eſt pro peccato ſuo; magis autem propter delicta noſtra. Quod vocatũ eſt, inquit, ab Angelo, priuſquã in vtero conciperetur. Vocatum planè, non impoſitum. Nẽpè hoc ei nomen eſt ab æterno. A natura propria habet, vt ſit Saluator: innatum eſt ei nomen hoc, non inditum ab humana vel Angelica creatura.

Te Deum laudamus.

AD LAVDES,

& per horas, Aña.

OLeum effuſum nomen tuũ ideò adoleſcẽtulæ dilexerunt te. Pſalm. Dominus regnauit.

nauit. [illegible] Ant. ipſa Scitote quia Dominus ipſe eſt Deus, cuius nomen in æternũ. [illegible] Sitiuit anima mea ad nomen ſanctum tuum Domine. Antiphon. Benedictum nomen gloriæ ſuæ, ſanctum, & laudabile, & ſuperexaltatum in ſæcula. Antiphon. Iuuenes, & virgines, ſenes cum iunioribus laudate nomen Domini, quia exaltatum eſt nomen eius ſolius.

[illegible] *Philip. 2.*

Fratres, Chriſtus humiliauit ſemetipſum, factus obediens vſque ad mortem, mortẽ autem crucis: propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen: vt in nomine Ieſu omne genu flectatur.

Hymnus.

Ieſu, decus Angelicum,
In aure dulce canticum,
In ore mel mirificum,
In corde nectar cælicum.
Qui te guſtant, eſuriunt,
Qui bibunt, adhuc ſitiunt,
Deſiderare neſciunt,
Niſi Ieſum, quem diligunt.
O Ieſu mi dulciſsime,
Spes ſuſpirantis animæ!
Te quærunt piæ lacrymæ,
Te clamor mentis intimæ.
Mane nobiſcum Domine,
Et nos illuſtra lumine,
Pulſa mentis caligine,
Mundum reple dulcedine.
Ieſu, flos Matris Virginis,
Amor noſtræ dulcedinis,
Tibi laus, honor nominis,
Regnũ beatitudinis. Amen.

℣. Adiutorium noſtrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit cœlum & terram.

Ad Benedictus, Antiphona. Dedit ſe, vt liberaret populum, & acquireret ſibi nomen æternum, alleluia.

Oratio.

Deus, qui vnigenitum Filiũ tuum conſtituiſti humani generis Saluatorem, & Ieſum vocari iuſsiſti: concede propitius; vt cuius ſanctum Nomen veneramur in terris, eius quoque aſpectu perfruamur in cœlis. Per eumdem Dominũ noſtrum.

Poſtea fit commem. S. Felicis mart.

Ad Primã in ℟. breui dicitur ℣. Qui natus es de Maria virgine.

Ad Tertiam, Antiph. Scitote. Capitulum. Fratres, Chriſtus humiliauit. ℟. br. Sit nomen Domini benedictũ, * Alleluia, alleluia. * Sit nomẽ. ℣. Ex hoc nunc & vſque in ſæculum. Alleluia, alleluia. Gloria. * Sit nomen Domini. ℣. Afferte Domino gloriã & honorẽ, allel. ℟. Afferte Domino gloriã nomini eius, alleluia.

Ad Sextam. Ant. Sitiuit.

Capitulum. *Philip. 2. b*

In nomine Ieſu omne genu flectatur cæleſtium, terreſtrium, & infernorum: & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris.

℟. br. Afferte Domino gloriã & honorem, * Alleluia, alleluia. Afferte. ℣. Afferte Domino gloriam nomini eius. Alleluia, alleluia. Gloria Patri. * Afferte. ℣. Magnificate Dominum mecum, alleluia. ℟. Et exaltemus nomen eius in idipſum, alleluia.

Ad Nonam Antiphona. Iuuenes, & virgines.

Capitulum. *Coloſſ. 3. c*

Omne quodcumque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini Ieſu Chriſti facite, gratias agentes Deo & Patri per ipſum.

℟. breue. Magnificate Dominum mecum, * Alleluia, alleluia. * Magnificate. ℣. Et exaltemus nomen eius in idipſum. Alleluia, alleluia. Gloria Patri. * Magnificate. ℣. Adiutorium noſtrum in nomine Domini, alleluia. ℟. Qui fecit cœlum & terram, alleluia.

In ſecundis Veſperis omnia dicuntur ſicut in primis.

Ad Magnificat, Antiphona. Vocabis nomẽ eius Ieſum; ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum, allelu.

Oratio vt ſupra.

Deinde fit com. S. Pauli primi Eremitæ, & poſtea S. Mauri Ab. De ſancto Hilario transfertur.

## DIE XXIX. IANVARII.

In feſto S. Petri Nolaſco Confeſſ. Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum Fundatoris, ſemid.

In Hymn. Veſp. & Matut. dicatur: Hac die lœtus meruit ſuppremos laudis honores.

Oratio.

Deus, qui in tuæ charitatis exemplum ad Fideliũ Redemptionem, S. Petrum Nolaſco, Eccleſiam tuã noua Prole fœcundare diuinitùs docuiſti; ipſius nobis interceſsione cõcede, à peccati ſeruitute ſolutis, in cœleſti Patria perpetua libertate gaudere. Qui viuis, &c.

In primo Nocturno.

Lectiones de Scriptura occurrente.

In ſecundo Nocturno.

Lectio iv.

Petrus Nolaſco Recaudi propè Carcaſonã in Gallia nobili genere natus, ſingulari erga proximum charitate excelluit; cuius virtutis præſagium fuit; quod cum adhùc incunabulis vagiret infans, examen apum ad eum cõuolauit, & fauum mellis in eius dextera conſtruxit: Adoleſcens, parentibus orbatus, Albigenſium hæreſim, quæ tunc in Gallia graſſabatur, execrans; diuendito patrimonio in Hiſpaniam ſeceſsit, & apud B. Virginẽ Montis Serrati, votum, quo pridem ſe

ſe obſtrinxerat, exoluit. Tum Barchinonam pergens, cum Chriſti fidelibus ab hoſtium ſeruitute redimendis; omnem pecuniam conſumpſiſſet, ſe ipſum pro ijs liberandis venum ire, aut in illorum vincula ſufſici, cupere dictitabat.

℟. Honeſtum fecit, &c.

Lectio v.

QVam gratum Deo fuerit hoc Sancti viri deſiderium, ſubſequens declarauit euentus: Nam noctu oranti, & de Chriſtianorum in captiuitate degentium ſubſidio, multa animo voluenti: Beata Virgo apparens; filio ſuo, ſibiquè acceptiſsimum forè ſuggeſsit; ſi ad ſui honorem Religioſorum Ordo inſtitueretur, quibus præcipuè eſſet cura, captiuos ab Infidelium tyrannide liberare. Huic cœleſti monito illicò obtemperans, vna cum Sancto Raymundo de Pegnafort, & Iacobo I. Rege Aragoniæ de eadem re à Dei Genitrice ipſa nocte præmonitis, Religionem Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum inſtituit; Sodalibus ſuis quarto voto obſtrictis; manendi in pignus ſub Paganorum poteſtate, ſi, pro Chriſtianorum liberatione, opus fuerit.

℟. Amauit eum Dominus.

Lectio vj.

EDito virginitatis voto, illibatam perpetuò caſtitatem ſeruauit. Patientia, Humilitate, Abſtinentia, cæteriſque virtutibus mirabiliter enituit. Prophetiæ dono illuſtris, futura prædixit; inter quæ maximè celebratur: Quod Iacobus Rex Valentiam à Mauris occupatam expugnauerit, accepta priùs ab eo obtinendæ victoriæ ſecuritate Angeli Cuſtodis, ac Deiparæ Virginis frequenti apparitione recreabatur. Senio tandem confectus, de imminenti morte certior factus, in morbum incidit, Sanctiſque refectus Sacramentis, fratres ſuos ad charitatem erga captiuos cohortatus & Pſalmum; Confitébor tibi Domine in toto corde meo, deuotiſsimè recitans; ad illa verba: Redemptionem miſit Dominus Populo ſuo, ſpiritum Deo reddidit media nocte vigiliæ Natiuitatis Domini, anno milleſimo ducenteſimo quinquageſimo ſexto. Cuius feſtiuitatem Alexander Septimus die vigeſima nona Ianuarij celebrari præcepit.

℟. Iſte homo.

In tertio Nocturno.

Euangelium Nolite timere puſillus grex &c. cum Hom. Ven. Bedæ, Præsb. vt in commi. Conf. non Pont.

Miſſa. Iuſtus vt palma florebit, &c. de communi Confeſſ. non Pont.

Ora-



Oratio Deus, qui in tuæ, &c. vt ſupra.

Euangelium Nolite timere puſillus grex, &c. Reliqua vt in eadem Miſſa. Iuſtus, vt palma, &c.

---

## DIE IIII. FEBRVARII.

In feſto S. Andreæ Corſini Ordinis Carmelitarum, Epiſcopi Feſulani, & confeſſoris, ſemiduplex, ad libitum.

Omnia de Communi Conf. Pontif. præter Orationem, & Lectiones ſecundi Nocturni.

Oratio.

DEus plebis tuæ miſerator, cui Beatus ANDREAS Pontifex abdicato ſæculi faſtu, liberiori placuit miniſterio: da quæſumus Paſtoris ſui ſolemnia, recenſenti eius non deſtitui ſuffragio, cuius cōfidit meritis tuæ reſtitui gratior maieſtati. Per Dominum noſtrū, &c.

In primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

Lectio iv.

ANDREAM Florentiæ ex nobili Corſinorum familia natum parentes precibus à Deo impetrarūt, & Beatæ Virgini ſpoponderunt. Qualis autem futurus eſſet diuino præſagio, antequam naſceretur, oſtenſum eſt; nam Mater grauida ſibi viſa eſt per quietem lupum edidiſſe, qui ad Carmelitarum ædem pergens in ipſo templi veſtibulo ſtatim in agnum conuerſus eſt. Adoleſcens piè, & ingenuè educatus cū ſenſim ad vitia declinaret, ſæpè à matre increpatus fuit. Vbi autem cognouit ſe parentum voto Deiparæ Virgini dicatum fuiſſe, Dei amore ſuccenſus, deque viſu Matris admonitus, Carmelitarum inſtitutum amplexus eſt, in quo varijs tentationibus à dæmone vexatus, numquam tamen potuit à Religionis propoſito dimoueri. Mox Lutetiam miſſus emenſo ſtudiorum curriculo, & laura donatus in patriam reuocatur, ſuique Ordinis regimini in Hetruria præficitur.

Lectio v.

INtereà Feſulana Eccleſia ſuo viduata Paſtore eum ſibi Epiſcopum elegit, quo munere ſe indignum æſtimāns diù latuit ignotus, donec pueri voce mirabiliter loquentis proditus, & extra Vrbem inuentus, ne diuinæ contradiceret voluntati Epiſcopatum ſuſcepit. Ea dignitate auctus, humilitati, quam ſemper coluerat, impenſius incubuit, & paſtorali ſollicitudini miſericordiam in pauperes, liberalitatem, orationis aſsiduitatem, vigilias, aliaſque virtutes adiunxit, & ſpiritu etiam prophetico clarus fuit, adeò vt eius ſanctitas ab omnibus celebraretur.

Le-

Lectio vi.

HIS permotus Vrbanus V. ad ſedandas Bononiæ turbas ANDREAM legatũ miſit, quo in munere multa perpeſſus Ciuium odia, quæ ad internetionem exarſerant, ſumma prudentia reſtrinxit, tum reſtituta tranquillitate ad propria reuerſus eſt. Nec multò poſt aſsiduis laboribus, & voluntaria carnis maceratione cõfectus, obitus die à Beata Virgine ſibi prædicto ad cœleſtia regna migrauit, anno Domini milleſimo trecẽteſimo ſeptuageſimo tertio, ætatis ſuæ ſeptuageſimo primo: Quem Vrbanus Octauus multis, magniſque miraculis clarum Sanctorum numero adſcripſit. Eius Corpus Florentiæ in Eccleſia ſui Ordinis quieſcit, & maxima Ciuium veneratione colitur, quibus non ſemel in præſenti diſcrimine præſidio fuit.

In tertio Nocturno. Euãg. Homo peregrè proficiſcens.

Homil. S. Gregorij Papæ, de Commun. Conf. Pont.

Miſſa de Comm. Confeſſ. Pont. Statuit. Prima Oratio, vt ſuprà reliqua de eodẽ communi.

---

Decretum Sac. Congreg. Rituum.

FActa inſtantia apud SS. Rit. Congregationem nomine Capituli, & Cleri Eccleſiæ Seguntinæ, pro licentia celebrandi officium cũ Miſſa de Corona Spinea Domini noſtri Ieſu Chriſti, aliàs, vt exponitur reuiſum, & approbatum ab eadẽ Sacra Congregatione pro Eccleſia Montis Regalis, eodemque iterum reuiſo de ordine S. Congregationis per Eminentiſsimum D. Cardinalem Sacchettum; & facta relatione, per S. Congregationem de nouo, quatenus opus eſſet, approbato, attenta Reliquia inſigni de dicta Corona in eadem Eccleſia Seguntin. aſſeruata, ipſa Sacrorum Rit. Congregatio, dummodo conſtet eſſe Spinam Coronæ Domini, petitam licentiam; tam ſupradictum Officium, quàm Miſſam celebrandi in d. Eccleſia die 4. Maij ſub Ritu duplici, ac cum facultate idẽ imprimendi, conceſsit. Die 28. Martij 1654. C. Epiſc. Oſtien. Card. Med. Loco † Signi. B. Roccius Sac. Rit. Congreg. Sec.

## DIE IIII. MAII.

In Feſto Coronæ Domini. Duplex in Ciuitate Seguntina.

## AD VESPERAS,

Antiphona.

MIlites Præſidis, cum reliquis de Laudibus, vt infrà. Pſalmus. Dixit Dominus, cum reliquis de Dominica. & loco vltimi Pſalmus. Laudate Dominum omnes gentes.

Capitulum.

EGredimini, & videte filiæ Sion Regẽ Salomonẽ in diademate, quo coronauit illũ mater ſua, in die deſponſationis illius, & in die letitię cordis eius.

Hym-



Hymnus.

VExilla Regis prodeunt:
Fulget Crucis myſterium,
Qua vita mortem pertulit.
Et morte vitam protulit.
Quæ vulnerata lanceæ,
Mucrone diro, criminum,
Vt nos lauaret ſordibus
Manauit vnda, & ſanguine.
Impleta ſunt, quæ concinit,
Dauid fideli carmine,
Dicendo nationibus:
Regnauit à ligno Deus.
Arbor decora, & fulgida
Ornata Regis purpura,
Electa digno ſtipite
Tam ſancta membra tãgere.
Beata cuius brachijs
Pretium pependit ſæculi,
Statera facta corporis,
Tulitque prædam Tartari.
O Crux aue ſpes vnica,
Paſchale, quæ fers gaudium
Pijs adauge gratiam,
Reiſque dele crimina.
Te fons ſalutis Trinitas
Collaudet omnis ſpiritus
Quibus Crucis victoriam
Largiris adde præmiũ. Amẽ.

℣. Tuam coronam adoramus Domine, alleluia.
℟. Tuum glorioſum recolimus triumphum, alleluia.

Ad Magnificat, Antiphona.

Apprehendit Pilatus Ieſum, & flagellauit, & milites plectentes Coronam de ſpinis, impoſuerũt capiti eius, & veſte purpurea circumdederunt eum, alleluia, alleluia.

Oratio.

PRæſta quæſumus omnipotens Deus, vt qui in memoriam paſsionis Domini noſtri Ieſu Chriſti coronã eius ſpineã veneramur in terris, ab ipſo gloria, & honore coronari mereamur in Cœlis. Qui tecum viuit.

Ad Matutinum Inuitatorium.

Chriſtum Regem pro nobis ſpinis coronatum, Venite adoremus, alleluia.

Pſal. Venite exultemus, &c.
Hymnus. Pange lingua glorioſi.

In primo Nocturno. Antiphona.

Maledicta terra in opere tuo; Spinas & tribulos germinabit tibi, alleluia.

Pſalmi, vt in feſto Inuentionis S. Crucis.

Beatus vir, qui non abijt.
Quare fremuerunt gentes.
Domine quid multiplicati ſunt.

℣. Tuam Coronam adoramus Domine, Alleluia.
℟. Tuum glorioſum recolimus triumphum, Alleluia.

Lectio i.

De Iſaia Propheta.

Cap. 53. art. 1.

QVis credidit auditui noſtro? & brachium Domini, cui reuelatum eſt? & aſcendet ſicut virgultum coram eo, & ſicut radix de terra ſitienti; nõ eſt ſpecies ei, neque decor; & vidimus eum, & non erat aſpectus, & deſiderauimus eum: Deſpectum, & nouiſsimum vi-

ro-

rorum, virum dolorum, & ſciẽtem infirmitatem, & quaſi abſconditus vultus eius, & deſpectus, vndè nec reputauimus eũ.

℟. Ecce vidimus eum non habentem ſpeciem, neque decorem, aſpectus eius in eo nõ eſt; hic peccata noſtra portauit, & pro nobis dolet; ipſe autẽ vulneratus eſt propter iniquitates noſtras: Cuius liuore ſanati ſumus, Alleluia. ℣. Verè lãguores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit. Cuius.

Lectio ij.

VErè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit, & nos reputauimus eum quaſi leproſum, & percuſſum à Deo, & humiliatũ. Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus propter ſcelera noſtra; diſciplina pacis noſtræ ſuper eum, & liuore eius ſanati ſumus. Omnes nos quaſi oues errauimus, vnuſque in viam ſuam declinauit, & poſuit Dominus in eo iniquitatem omnium noſtrum.

℟. Quid ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarum? Et dicet: His plagatus ſum in domo eorum, qui diligebant me, Allel. ℣. Framea ſuſcitare ſuper Paſtorem meum, & ſuper virum cohærentem mihi. Et dicet.

De Zacharia Propheta.

Lectio iij. *C. 12. c. 9. c. 13. c. 6.*

ET erit in die illa; quæram conterere omnes gentes, quæ veniunt contra Ieruſalem. Et effundã ſuper domum Dauid, & ſuper habitatores Ieruſalem ſpiritum gratiæ, & precum; & aſpicient ad me, quem confixerunt; & plangent eum planctu, quaſi ſuper vnigenitũ, & dolebunt ſuper eum, vt doleri ſolet in morte primogeniti. In die illa magnus erit planctus in Ieruſalem. Et dicitur ei: Quid ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarum? Et dicet: His plagatus ſum in domo eorum, qui diligebãt me. Framea ſuſcitare ſuper paſtorem meum, & ſuper virum coherentem mihi, dicit Dominus exercituũ; percute paſtorem, & diſpergentur oues, & conuertam manum meam ad paruulos.

℟. Tuam coronã Spineam veneramur Domine, tuam glorioſam recolimus paſsionem. Miſerere nobis, qui paſſus es pro nobis, Allel. ℣. Salua præſentẽ cateruam in tuis hodie laudibus congregatam. Miſerere. Gloria Patri. Miſerere.

In ſecundo Nocturno, Añ.

Pro frumẽto ortus eſt mihi tribulus, & pro hordeo ſpina, Allel. Pſalm. Cum inuocarem. Verba mea. Domine Dominus noſter. ℣. Gloria, & honore coronaſti eum Domine, Alleluia. ℟. Et conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum, Allel.

Ex tractatu S. Athanaſij in Paſſione Domini.





Lectio iiij.

CVm exueretur Dominus eo ipſo inuiſibiliter, erigebatur de diabolo trophæum, & quo illud manifeſtum fieret, narratur à Ioanne, indutus fuiſſe purpura, à Matthæo verò, & Marco chlamyde coccinea, coronamque illi ex Spinis ſuper caput eſſe poſitam, & calamum in manus datum; & ita cum eum produxiſſent, genibus flexis adoraſſe. Miraculũ nouum, & incredibile, & magnæ ſine dubio victoriæ inſignæ, quem enim, vt hominem condemnauerant, eum mortuum deinde, vt Deum adorauerunt, & quem aſpernabantur, vt vilem, & cõtemptibilem eum confitebantur Regem, cui tunicam, & veſtem detraxerant, eum purpura circundederunt; & quem ignorantes contumelijs afficiebant, eum Prophetam etiam nolentes appellauerunt, & quem per ludibrium ſubſannationemque pulſabant, ei triumphalia addiderunt ornamenta, coccineam chlamydem, & coronam Spineam, & calamum. Nam tametſi ea quaſi per contumeliã agebant, efficiebatur tamen indè, vt ab eo latenter ſpoliarentur.

℟. Corona aurea ſuper caput eius. Expreſſa ſigno ſanctitatis, gloria, honoris, & opus fortitudinis, Alleluia.

℣. Quoniam præueniſti eum in benedictionibus dulcedinis, poſuiſti in capite eius coronã de lapide pretioſo. Expreſſa.

Serm. S. Ambroſij Epiſcopi.

*Ser. 73. qui eſt 11. de S. Cypriano.*

Lectio v.

VIdeamus diligenter, ne ex palmite operis noſtri non naſcatur dulcedinis vua, ſed fellis; ne dicatur nobis, quod Iudæis dictum eſt per Prophetam. Suſtinui, vt faceret vuam, fecit autem ſpinas; & non iuſtitiam; ſed clamorem. Quam dura conditio, vt poſſeſsio, quæ Domino ſuo ſuauitatis fructus afferre debuit, Spinarum illum aſperitate compunxerit, hoc eſt cum Iudæi Saluatorem debuerint tota fidei deuotione ſuſcipere, Spinarum eum coronauerunt Paſsione. Quæ corona quidem, quantum in Iudæis eſt, erat iniuriarum contumelia; quantum in Domino, erat corona virtutum. Compungunt ergo Iudæi Dominum, dum coronant, compungunt, dum crucifigunt. Vndè ait Scriptura Sancta, videbunt in quem compunxerunt.

℟. Omnes amici mei dereliquerũt me, & præualuerunt inſidiantes mihi; tradidit me quẽ diligebã: Et terribilibus oculis plaga crudeli percutientes; ſubſannabant mihi, Alleluia.

℣. Inter iniquos proiecerunt me, & non pepercerunt animæ meæ. Et terribilibus.

Lectio VI.

IGitur fratres videte, ne & nobis dicatur: Suſtinui, vt faceret vuã, fecit autem Spinas; hoc eſt, ne Spinas, quas Domino Iudæi cruentis impoſuerunt manibus; nos iniquis ſenſibus apponamus; & compungamus eum non aſperitate ſenſuũ, ſed operum prauitate. Sunt enim ſpinæ cordis, quæ Verbum Dei etiam vulnerare conſueuerunt, de quibus meminit in Euangelio Saluator, dicens, ſeminãtis ſemen cecidiſſe inter Spinas, & creuiſſe eas, ac ſuffocaſſe, quod ſatum eſt. Ergo fratres videte, ne vinea veſtra, non vuas, ſed Spinas faciat, ne vindemia veſtra non vinum afferat, ſed acetum. Quiſquis enim vindemiã legit, & pauperibus non largitur, ille acetum colligit, non vinum. Quiſquis meſſes reconditur, & indigentibus non miniſtrat, iſte nõ alimoniæ fructus repoſuit, ſed tribulos auaritiæ congregauit. Nã propterea ait Scriptura de terra noſtra: Spinas, & tribulos germinabit tibi.

℟. Vinea mea electa, ego te plantaui. Quomodo conuerſa es in amaritudinem, vt me Spinis coronares? Alleluia. ℣. Sepiui te, & lapides elegi ex te, & ædificaui turrim. Quomodo. Gloria Patri, &c. Quomodo.

In tertio Nocturno.

Antiphona. Grauata eſt ſuper me manus tua; conuerſus ſum in ærumnã mea, dum configitur Spina, Alleluia. Pſalmus. Dominus regnauit exultet terra. Cantate ij.

℣. Eris Corona gloriæ in manu Domini, Alleluia. ℟. Et diadema Regni in manu Dei tui. Alleluia.

Lectio S. Euangelij ſecundum Ioannem.

Lectio vij. *Cap. 19.*

IN illo tempore: Apprehendit Pilatus Ieſum, & flagellauit, & milites plectentes Coronam de Spinis impoſuerunt capiti eius. Et reliqua.

Homilia Sancti Aug. Epiſc. *Tract. 116. in Ioann.*

HOc Pilatus non ob aliud feciſſe credendus eſt; niſi, vt eius iniurijs Iudæi ſatiati ſufficere ſibi exiſtimarent, & vſque ad eius mortem ſæuire deſiſterent. Ad hoc pertinet, quod idem Præſes cohortem ſuam etiam permiſit facere, quæ ſequuntur, aut fortaſsis, & iuſsit, quamuis hoc Euãgeliſta tacuerit: dixit enim, quid deinde fecerint milites, Pilatum tamen id iuſsiſſe non dixit.

℟. Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exẽplum, vt ſequamini veſtigia eius. Qui peccatũ non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius. Allel. ℣. Qui cũ malediceretur, nõ maledicebat, cum pateretur, non comminabatur. Qui peccatum.





Lectio viij.

ET milites, inquit, plectentes Coronã de Spinis, impoſuerunt capiti eius, & veſte purpurea circũdederunt eum, & veniebant ad eum, & dicebant: Aue Rex Iudæorum; & dabant ei alapas. Sic implebãtur, quæ de ſe prædixerat Chriſtus: Sic martyres informabantur ad omnia, quæ perſecutori libuiſſet facere perferenda: Sic pauliſper occultata tremenda potentia commẽdabatur prius imitanda potentia; ſic Regnũ, quod de hoc mundo non erat, ſuperbum mundum non atrocitate pugnandi, ſed patiendi humilitate vincebat; ſic illud granum multiplicandum ſeminabatur horribili contumelia, vt mirabili pullularet in gloria.

℟. Milites præſidis ſuſcipientes Ieſum in prætorium, congregauerunt ad eum vniuerſam cohortẽ; & exeuntes eum, chlamydem coccineam circũdederunt ei: Et plectentes Coronam de Spinis poſuerunt ſuper caput eius, Alleluia. ℣. Genuflexo ante eum, illudebant ei dicentes. Aue Rex Iudæorum. Et plectentes. Gloria Patri, &c. Et plectentes.

Lectio ix.

EXiit ergo Ieſus portãs Coronam Spineam, & purpureum veſtimentum: & dicit ei Pilatus, Ecce homo. Hic apparet, non ignorante Pilato hæc à militibus facta, ſiue iuſſerit ea, ſiue permiſerit, iſta, ſcilicèt cauſa, quam ſupra diximus, vt hæc eius ludibria inimici libentiſſimè biberent, & vlterius ſanguinem non ſitirent. Egreditur ad eos Ieſus portans Spineam Coronam, & purpureum veſtimentum; non clarus imperio, ſed plenus opprobrio, & dicitur eis: Ecce homo. Si Regi inuidetis, iam parcite, quia deiectũ videtis. Flagellatus eſt, Spinis coronatus, ludibrioſa veſte amictus eſt, amaris conuicijs illuſus eſt, alapis cæſus eſt: Ferueat ignominia, frigeſcat inuidia; ſed non frigeſcit, inardeſcit potius, & increſcit.

Te Deum.

## AD LAVDES,

Et per Horas. Antiphona.

MIlites Præſidis ſuſcipientes Ieſum in Prætorium, congregauerunt ad eum vniuerſam cohortem, Alleluia. Pſalmus. Dominus Regnauit.

Antiph. Et exuentes eum chlamydem coccineã circumdederunt ei. Alleluia.

Antiph. Et plectentes Coronã de Spinis, poſuerunt ſuper caput eius, & arundinem in dextera eius. Alleluia.

Antiph. Et genuflexo ante eum, illudebãt ei, dicentes: Aue Rex Iudæorum. Alleluia.

Antiph. Et expuentes in eum, acceperunt arundinem, & percutiebant caput eius. Alleluia.

Capitulum. *Cant. 3.*

Egredimini, & videte filiæ Sion Regem Salomonem in Diademate, quo coronauit illum mater ſua in die deſponſationis illius, & in die lætitiæ cordis eius.

Hymnus.

LVſtris ſex, qui iam peregit
Tempus implens Corporis
Sponte libera Redemptor,
Paſſioni deditus,
Agnus in Crucis leuatur
Immolandus ſtipite.
Felle potus ecce languet:
Spina, claui, lancea;
Mite corpus perforarunt,
Vnda manat, & cruor:
Terra, pontus, aſtra, mũdus,
Quo lauantur flumine.
Crux fidelis inter omnes
Arbor vna nobilis:
Sylua talem nulla profert,
Fronde, flore, germine:
Dulce ferrum, dulce lignũ,
Dulce pondus ſuſtinent.
Flecte ramos arbor alta,
Tenſa laxa viſcera,
Et rigor lenteſcat ille,
Quem dedit natiuitas,
Et ſuperni membra Regis
Miti tende ſtipite.
Sola digna tu fuiſti
Ferre mundi victimam:
Atque portum præparare,
Arca mundo naufrago,
Quam ſacer cruor perunxit
Fuſus agni corpore.
Sempiterna ſit beatæ
Trinitati gloria,
Æqua Patri, Filioque,
Par decus Paraclyto,
Vnius Trinique nomen,
Laudet vniuerſitas, Amen.

℣. Dominus regnauit decorẽ induit, Alleluia. ℟. Induit Dominus fortitudinem, & præcinxit ſe virtute, Alleluia.

Ad Benedictus, Antiphona.

Milites induunt Ieſum purpura, & imponunt ei plectentes Spineam Coronam. Et cœperunt ſalutare eum, Aue Rex Iudæorum, Alleluia.

AD TERTIAM.

Antiph. Et exuentes eum.

Capitulum.

Egredimini. vt ſuprà.

℟. breu. Tuam Coronã adoramus Domine, Alleluia, alleluia. Tuam Coronam.

℣. Tuum glorioſum recolimus Triumphum, Allel. allel. Gloria Patri. Tuam.

℣. Gloria, & honore coronaſti eum Domine, Alleluia.

℟. Et cõſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum, Alleluia.

AD SEXTAM.

Aña. Et plectentes Coronam.

Capitulum.

Vide, & ecce equus albus, qui ſedebat ſuper illum habebat arcum, & data eſt ei Corona, & exiuit vincens, vt vinceret.

℟. breu. Gloria, & honore coronaſti eum Domine, Alleluia, alleluia. Gloria, & honore.

℣. Et conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum, Alleluia,



luia, alleluia. Gloria Patri, &c. Gloria, & honore.

℣. Eris Corona Gloriæ in manu Domini, Alleluia.

℟. Et Diadema Regni in manu Dei tui, Alleluia.

AD NONAM.

Aña. Et expuentes in eum.

Capitulum.

In illa die erit Dominus exercituum Corona gloriæ, & ſertum exultationis reſiduo populi ſui.

℟. breu. Eris Corona gloriæ in manu Domini, Alleluia, allel. Eris Corona.

℣. Et Diadema Regni in manu Dei tui, Alleluia, allel. Gloria, &c. Eris Corona.

℣. Dominus regnauit, decorẽ induit, Allel. ℟. Induit Dominus fortitudinem, & præcinxit ſe virtute, Alleluia.

In ſecundis Veſperis, omnia, vt in primis.

Ad Magnificat, Antiphona.

O Coronæ miranda dignitas, mortis pœnas debitas repellis. Tu ſpes lapſis, firmitas infirmis, Tu reſtauras Coronas perditas, Alleluia, alleluia.

---

## DIE XV. MAII.

In Feſto Sancti Iſidori agricolæ Confeſſoris, dup. & cum Octaua in Regnis vtriuſque Caſtellæ.

***Ex conceſſione Sanctiſſimi Domini noſtri Vrbani VIII.***

SI hoc feſtum venerit in Dominica tertia, quarta, vel quinta poſt Paſcha, fit de Feſto cum nona Lectione, & commemoratione Dominicæ in vtriſque veſperis, & Laudibus. Si occurrat in Dominica infra Octauam Aſcẽſionis, fit eadem commemoratio de Dominica ſine commemoratione Octauæ Aſcenſionis, in primis Veſperis, & Laudibus, ſed tantum in ſecundis Veſperis de Octaua Aſcenſionis fiat Officium die ſequenti. Si verò occurrat in feria ſecunda, fit commemoratio Dominicæ præcedentis.

Si in feria ſecunda Rogationum fit de Feſto cum nona Lectione Homiliæ feriæ, & commemoratio ad Laudes tantùm. Si in Feria quarta Rogationũ, nihil fit de feria.

Si venerit in die Aſcenſionis trãsfertur in feriam ſextam ſequentẽ, & in ſecundis Veſperis Aſcenſionis fit ſolum commemoratio Sancti Iſidori. Dies autem Octaua Sancti Iſidori, tunc veniens in die Octaua Aſcẽſionis, non trãsfertur, ſed fit commemoratio tantũ de ea in vtriſque Veſperis, & Laudibus, dictæ Octau. Aſcenſionis.

Si occurrat infra Octaua Aſcenſionis fit de Sancto Iſidoro, ſine cõmemoratione Aſcenſionis in primis Veſperis, & Laudibus, ſed fiet cõmemoratio in ſecundis Veſperis, ſi de Aſcenſione fiat Officium die ſequẽtis, & in fine Hymnorum dicitur:

Ieſu, tibi ſit gloria. Qui victor in cælum redis. Dummodo ſint eiuſdem metri.

Si occurrat infra Octauam Aſcenſionis, fit de Sancto Iſidoro cum commemoratione Octauæ Aſcenſionis in vtriſque Veſperis, & [illegible]

Si [illegible] Vigiliæ Pentecoſte, [illegible] transfertur poſt totalem Octauam Pentecoſtes, & tunc prima die (quæ erit poſt decimumſeptimum huius menſis) fit de ipſo cum reſiduo Octauæ, ſi quis de ea remanſerit: ſin aliter, celebretur eo anno ſine Octaua, & tunc Veſperæ erunt integræ de Sancto Iſidoro, cum commemoratione Sanctiſſimæ Trinitatis, & ſine commemoratione Dominicæ primæ poſt Pentecoſtem: quod ſi poſt Feſtum tranſlatum ſequatur immediatè eiuſdem Octaua, Feſtum huiuſmodi celebretur cũ ſuis primis Veſperis integris, & commemoratione Sanctiſſimæ Trinitatis tantum: & ſine vlla commemoratione dictæ Octauæ, quia iam factum eſt officium de eo.

Si hoc feſtum celebretur in Sabbato, in ſecundis Veſperis fit commemoratio Dominicæ ſequentis. Si die ſequenti fuerit feſtum Aſcenſionis, Veſperæ erunt de Aſcenſione cum commemoratione Sancti Iſidori tantum. Diebus verò [illegible]



fit de Octaua Aſcenſionis cum commemoratione Octauæ Sancti Iſidori in vtriſque Veſperis, & Laudibus. [illegible]

Si die ſequenti fuerit dies Octaua Aſcenſionis, aut Vigilia Pentecoſtes, fiat commemoratio de Octaua, aut Vigilia, vt in Breuiario.

Omnia de communi Confeſſoris non Pontificis, præter ea, quæ hic habentur. [illegible] Antiph. [illegible] breuia, quia [illegible] Allel. & tres [illegible] in quolibet [illegible] prima Antiph. [illegible]

[illegible] Deo Patri ſit gloria & Filio, qui à mortuis, vel Ieſu tibi ſit gloria. Qui victor in cælum redis, iuxta rubricas.

Capitulum. *Iac. c. 5.*

ECce agricola expectat pretioſum fructum terræ: patienter ferens, donec accipiat temporaneum, & ſerotinum. Patientes igitur eſtote & vos, & confirmate corda veſtra.

In Hymno, Iſte Confeſſor, dicatur ad Veſperas: Hac die lætus meruit ſupremos laudis honores.

Ad Magnificat.

Antiph. Labores manuum ſuarum, quia manducauit, eſurientem impleuit bonis Dominus Deus noſter, Alleluia.

Ora-

DA nobis miſericors Deus, beato Iſidoro agricola Cõfeſſore tuo intercedẽte ſuperbè nõ ſapere, ſed eius meritis, & exemplis placita tibi ſemper humilitate deſeruire. Per Dominum noſtrum.

De Epiſtola B. Iacobi Apoſtoli.

*Cap. 5.*

PAtientes igitur eſtote fratres vſque ad aduentũ Domini. Ecce agricola expectat pretioſum fructum terræ, patienter ferens, donec accipiat temporaneum, & ſerotinum. Patientes igitur eſtote vos, & confirmate corda veſtra: quoniam aduentus Domini appropinquauit. Nolite ingemiſcere, fratres, in alterutrum vt nõ iudicemini. Ecce iudex ante ianuam aſsiſtit. Exemplum accipite, fratres, exitus mali, laboris, & patientiæ, Prophetas qui locuti ſunt in nomine Domini.

Euge ſerue bone.

ECce beatificamus eos, qui ſuſtinuerunt. Sufferentiam Iob audiſtis, & finem Domini vidiſtis, quoniam miſericors Dominus eſt, & miſerator. Ante omnia autẽ fratres mei nolite iurare, neque per cœlum, neque per terram, neque aliud quodcumque iuramentum. Sit autem ſermo veſter: Eſt, eſt. Non, non: vt non ſub iudicio incidatis. Triſtatur aliquis veſtrum? oret. Æquo animo eſt? pſallat. Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, vngentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei ſaluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus: & ſi in peccatis ſit, remittentur ei.

Iuſtus germinabit.

COnfitemini ergo alterutrũ peccata veſtra, & orate pro inuicem vt ſaluemini; multum enim valet deprecatio iuſti aſſidua. Elias homo erat ſimilis nobis paſsibilis: & oratione orauit, vt non plueret ſuper terram, & non pluit annos tres, & menſes ſex. Et rurſum orauit: & cœlum dedit pluuiam, & terra dedit fructum ſuum.

Iſte cognouit.

ISidorus agricola propè Matritum Hiſpaniæ vrbem, in qua natus fuerat, mercede colendis agris conductus, breui magnarum ſibi virtutum, eo in exercitio, vberrimã ſegetẽ parauit. Admirabilis enim Chriſti, ac ſanctorum imitator nunquam ad opus manè ſe conferebat, niſi prius Dei regnum ſtudiosè quæreret, Eccleſiaſque in ipſius, ac Deiparæ honorem dicatas viſitaret. Quare cum illius moram agri dominus gra-

uiter

uiter ferret, atque ex editiore loco quadam die, vt eum liberius increparet, agricolam operiretur, binos Angelos candida veſte, duplici boum iugo arantes, mediumque inter illos Iſidorum cõſpexit. Quo miraculo vulgato, magno deinceps honori, tam apud herum, quàm apud cæteros homines haberi cœpit.

℟. Honeſtum fecit.

Lectio v.

CHaritate in pauperes adeò flagrauit, vt mercedem quam laboribus parabat, egentibus erogaret. Quin etiam cũ aliquando ad commune cum reliquis confratribus prandium plurimos pauperes adduxiſſet, nihilque aliud, prãdio, ſcilicet, finito, quam pulmenti partem ſibi reſeruatam reperiſſet, illã vir Dei fide ſingulari fretus ita diſtribuit, vt admirabiliter aucta iis omnibus alendis, ſaturãdiſque ſufficeret. Illud etiam inter cætera mirandum, quod per æſtiuos calores, ad extinguendam in agro ſitim, aquæ potum hero flagitante, cũ nullibi ſcateret, Iſidorus, ſtimulo quem gerebat, humo percuſſa, vberem ex ea, & perennem ad hæc vſque tempora fontem elicuit.

℟. Amauit eum.

Lectio vi.

IGitur ſanctitate clarus, cum ad vltimam ſenectutem peruenisset, obdormiuit in Domino, & in cœmeterio ſancti Andreæ ſepultus, tãdiu ibi iacuit, quo ad ciues de ipſius corpore honeſtius in Eccleſia collocando diuinitus moniti, illud in loculo integrum, atque adeò incorruptum inuenerunt, vt ex eo ſuauiſſimus odor, qui hac etiã tempeſtate perdurat, efflaret. Sanctum corpus in Eccleſiam translatum, & in editiore loco ſitum, maximis Deus miraculis illuſtrauit. Quorum beneficentiam non ſemel, tam ipſa Matriti ciuitas, quàm etiam cæteræ Hiſpaniæ loca, ope ipſius implorata, perſenſerũt. Quem poſtremo poſt annos ferè quadringentos, fama ſanctitatis, ac miraculis illuſtrem Greg. XV. in Sanctorum numerum retulit.

℟. Iſte homo.

In ſecundo Nocturno.

Lectio S. Euangelij ſecundùm Ioannem.

Lectio vij. *Cap. 15.*

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Ego ſum vitis vera, & Pater meus agricola eſt. Et reliqua.

Homilia S. Gregorij Papæ.

*Lib. 7. Reg Epiſtol. 32.*

PEr te ſemetipſam veritas dicit: Pater meus agricola eſt, & omnem palmitem in me non ferentem fructum tollet eum: omnem verò qui fer fructum, purgabit eum: vt fructũ plus afferat. Palmes enim infructuoſus tollitur, quia peccator funditùs eradicatur. Vt ad vberiorem gratiam perducatur. Sic enim ſpicarum grana tribulis attrita ariſtis, & paleis nundantur. Sic oliuæ prælo preſſæ, in olei pinguedine defluunt. Sic botri vinearum tunſi calcibus in vinum liqueſcunt.

℟. Iſte eſt.

Lectio viij.

*Ex eodem Tract. in ſeptem Pſal. Pœnitent. ad 6. Pſalm.*

QVi manet in verbo, non fraudatur à regno. Aliter namque fructum facere non poſſumus, niſi in eo maneamus. Ideòque ait: Manete in me, & ego in vobis. Vnde enim manẽdum niſi in ipſo? Deficient domus, palatia corruent, deſtruentur ciuitates, ab imis ſedibus turres euellentur. Verbum autem Domini manet in æternum: Maneamus ergo in eo qui manet in æternum.

℟. Sint lumbi veſtri.

Lectio ix.

NOn ſequamur vanitatem, deſerẽtes veritatem, nec contriſtemur ſicut cæteri, qui ſpem non habent, ſed ſuſtineamus eum. Et ſi moram fecerit, expectemus, ne contingat nobis quod per Prophetam dicitur: Væ his qui perdiderunt ſuſtinentiam. Quicumque mũdanæ, aduerſitatis fractus moleſtiis, diabolicæ tentationis infeſtatione deiectus, à ſpe cœleſtium promiſſionum deciderit, ſuſtinentiæ, quam prius habuerat mercedem amittit. Qui verò ſuſtinebit, magnam reportabit remunerationem.

Te Deum.

AD LAVDES,

& per horas, Aña.

Domine, quinque talenta tradidiſti mihi, &c.

Capitulum. *Iac. 5.*

ECce agricola expectat pretioſum fructum terræ, patienter ferens, donec accipiat temporaneum, & ſerotinum. Patientes igitur eſtote & vos, & confirmate corda veſtra.

Ad Benedictus, Aña.

Exit qui ſeminat ſeminare ſemẽ ſuum, & aliud cecidit in terram bonam, & ortum fecit fructum centuplum, Alleluia.

Oratio.

DA nobis miſericors Deus, beato Iſidoro agricola, Confeſſore tuo intercedẽte, ſuperbè non ſapere, ſed eius meritis, & exemplis placita tibi ſemper humilitate deſeruire. Per Dominum noſtrum.

Ad tertiã, Aña. Euge ſerue bone. Capitulum. Ecce agricola, vt ſupra.

Ad ſextã, Aña. Fidelis ſeruus.

Capitulum. *Iac. 5.*

ECce beatificamus eos, qui ſuſtinuerunt. Sufferentiam Iob audiſtis, & finem Domini vidiſtis: quoniam miſericors Dominus eſt, & miſerator.

Ad Non. Aña. **Serue bone.**

Capitulum. *Iac.* 5.

MVltum valet deprecatio iuſti aſsidua. Elias homo erat ſimilis nobis paſsibilis, & rurſum orauit, & terra dedit fructum ſuum.

In ſecundis Veſperis om. [illegible] ſuperiores, præter Antiph. ad Magnificat. Ecce homo agricola iſte fuit, quoniam Adam exemplum eius, ab adoleſcentia ſua, ad ſeruiendum Deo viuenti, Alleluia.

Et fit comm. S. Vbaldi.

Si habeat omnis dies infra Octauam ſancti Iſidori concurſum cum feſto Aſcenſionis Domini Octauarum infra Octau. & Vigil. Pentecoſtes ſeruetur, quod dictum eſt in rubricis antecedentibus.

Si venias in fer. ij. aut iij. Rogationum [illegible], Lectiones primi Nocturni de Apoſt. B. Iacobi ex primo die Feſti, aut de initio alicuius libri, vel Epiſtolæ, ſi non ſit poſitum.

Si occurrat in Feria vi. poſt Octauam Aſcenſ. fit Officium de S. Iſidoro cum comm. Aſcenſ. [illegible] ad Benedictus, & Magnificat, vt in Dominica infra Oct. Aſcenſion.

Si occurrat in Vigilia Pentecoſtes, Officium fit de Vigilia ſecundum Breuiarium commem. Octau. S. Iſidori (ſine vllis precibus) & ad Laudes huius diei ceſſat Officium S. Iſidori, etiam [illegible] ad commem.

Si Feſta S. Ioannis Ante portam Latinam, Apparitionis S. Michaelis, Gregorij Nazianzeni, vel alia duplicia fuerint tranſlata, & fuerint æqualis ritus, cum [illegible] quæ ſolent celebrari proximis diebus, celebrentur infra Oct. Si vero non fuerint æqualis ritus, Officium fiat prius de digniori cum commem. Oct. S. Iſidori in i. & ij. Veſp. in Laudibus, & Miſſa. In feſto S. Gregorij propriæ comm. S. Iſidori Veſp. ad Laudes, & Veſp. variantur.

Si feſta ſanctorum Cleti, & Marcellini Martyrum, Petri Martyr. Catharinæ virg. Staniſlai Epiſcopi, & mart. vel alia ſimilia non fuerint celebrata ſuis proprijs locis, transferantur poſt Oct. S. Iſidori in primam diem feſto ix. Lect. non impeditam, & fiat Officium prius de digniori, quoad ritum. Quod ſi æqualis ſint ritus, fiat de eo prius, quod erat prius in Kalendario celebrandum.

## DIE XVI. MAII.

Secunda infra Octauam.

Omnia vt in die, præter Lect. quæ ſequuntur vt infra.

In primo Noct. Lectiones de ſcriptura occurrenti, & per totam Octauam.

In ſecundo Nocturno.

Sermo S. Iſidori Epiſc.

*Lib. 2. Sententiar. Capit. 11.*

Lectio iiij.

PRopterea virtutes ſanctorũ ad exemplum noſtrũ Deus propoſuit, vt quanto de imitatione eorum conferri poſſunt nobis iuſtitiæ præmia, tanto de perſeuerantia mali ſint grauiora tormenta. Si enim ad boni incitamentũ, diuina quibus admonemur præcepta deeſſent, pro lege nobis ſanctorum exempla ſufficerent. At contra, dum & nos Deus præceptis ſuis admoneat, & vitæ ſanctorum boni operis nobis exempla proponat, nulla eſt iam de reatu excuſatio.

Lectio v.

ET ſi prauorum ſæpè ſecuti ſumus exempla, cur non imitemur Sanctorum digna, & Deo placita facta? Et ſi apti fuimus imitare iniquos in malum, cur pigri ſumus imitari iuſtos in bonum? Orandus eſt Deus, & virtutes, quas preparauit ſanctis ad coronam, nobis ad profectum ſint poſitæ, non ad pœnam. Proficient autem ad profectum noſtrum, ſi tot exempla voluerimus imitari virtutum.

Lectio vi.

*Ex lib. 3. Sent. cap. 47.*

QVantum verò attinet ad rationem, non eſt perſonarum acceptio apud Deum; qui mundi eligit ignobilia, & contemptibilia, & quæ nõ ſunt, vt ea quæ ſunt deſtrueret: ne glorietur omnis caro, hoc eſt carnalis potentia coram illo. Vnus enim Dominus æqualiter, & dominus fert conſultum, & ſeruis. Melior eſt ſubiecta ſeruitus, quàm elata libertas: multi enim inueniũtur Deo liberè ſeruientes ſub dominis conſtituti flagitioſis, qui etſi ſubiecti ſunt illis corpore, prælati tamen ſunt mente.

Lectio ſancti Euangelij ſecundùm Ioannem.

Lectio vii.

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Ego ſum vitis vera, & Pater meus agricola eſt. Et reliqua.

Homilia S. Ioann. Chriſo.

*Homil. 75. in Ioann. c. 25.*

EGo ſum vitis, vos palmites: quid vult hæc parabola ſignificare? quod qui non vacat doctrinæ, viuere non poteſt, &, quòd futura ſigna Chriſti virtute proueniunt. Pater meus agricola eſt. Quid? Auxilio indiget filius? Abſit: Neque ſic intelligitur. Vide quàm diligẽter hanc parabolam exequitur: non enim radici, ſed palmitibus agricolæ curam conferre dicit. Radicis autem non alia cauſa hic meminit, quam vt diſcerẽt, ſine ipſius potentia nihil fieri poſſe: & quod ita ipſi fide vniendi ſunt ſicut palmites viti.

Lectio viii.

OMnem palmitem in me non ferentem fructũ tollet eum Pater. Hic ſignat vitam, oſtẽdens ſine operibus neminem in ipſo eſſe poſſe: & omnem qui fer fructum, purgabit, id eſt, incitabit ad virtutis curam,

ram. Atqui radix circumfoſsio-
ne, & cultu primum indiget;
ſed nihil de ea nunc dicit, ſed
de palmitibus: ſibi ipſi ſe ſuffi-
cere oſtendens. Diſcipuli autē
multa præceptoris cura indicēt,
etiamſi ſtudioſi ſint, ideò in-
quit, omnem, qui fert fructum,
purgabit eum, qui fructum non
facit; non poteſt eſſe in vitæ: qui
fructum fert, eum reddet fœ-
cundiorem.

Lectio ix. de ſancto Vbaldo
Epiſc. & Cōf. niſi venerit in fer.
ij. aut iv. Rogat. quia tūc fiet de
Hom. fer. cum cōm. ad Laudes:
quod ſeruari debet in diebus
infra Octau, quibus cōcurrerint
dictæ fer. & ſancti ſimplices.

VBaldus Eugubij in Vmbria
nobili genere natus, à pri-
mis annis pietate & litteris egre
giè eſt inſtitutus: namque ado-
leſcens, vt vxorem duceret, ſæ-
pè tentatus nunquam tamen à
propoſito ſeruandæ virginitatis
receſsit. Sacerdos effectus, pa-
trimonium ſuum pauperibus &
Eccleſiis diſtribuit: & Canoni-
corum Regularium Ordinis S.
Auguſtini inſtitutum ſuſcipiēs,
illud in patriam trāſtulit, atque
in eo aliquādiù ſanctiſsimè vi-
xit. Cuius ſanctitatis opinione
euulgata, ab Honorio Secundo
Summo Pontifice Eccleſiæ Eu-
gubinæ inuitus præficitur. Quā
cum multis annis ſumma cum
laude gubernaſſet, ſanctis ope-
ribus, ac miraculis clarus quie-
uit in pace: cuius virtus præci-
puè in effugandis ſpiritibus im-
mundis elucet. Eum verò Cœ-
leſtinus Papa Tertius in Sācto-
rum numerum retulit.

In Laud. pro S. Vbaldo com:
Aña. Euge ſerue bone. ℣. Ama
uit eum Dominus. Oratio. Da
quæſumus, vt in Breuiar.

DIE XVII. MAII.

In primo Noctur. Lection. de
Scriptura occurrent.

In ſecundo Nocturno.

Serm. S. Auguſtini Epiſcop.
*In Serm. de 4. fer. ſiue de cultura
agr. Dominici. Tom. 9.*

Lectio iv.

COEleſti gratiæ, & ſpirituali
pluuia preparādus eſt ager
Eccleſiæ, quia imber diuinus in
proximo eſt. Operemur dilectiſ
ſimi in iſto agro, quod nobis cre
ditum eſt, nobis enim datū eſt
plantare, rigare, arare, nouella-
re: ſed Dei eſt incremētum da-
re. Apoſtolus Paulus Doctor gē
tium in fide, & veritate, per ſe-
metipſum, & operando, & mo-
nendo hanc nos docuit Domi-
nicam exercere culturam, di-
cens: Ego plātaui, Apollo riga-
uit, ſed Deus incrementum de-
dit, & paulò poſt Dei enim ſu-
mus cooperarij, Dei agricultu-
ra, Dei ædificatio eſtis.

Lectio v.

IN iſta itaque, fratres, Domi-
nica agricultura, in quā nos
Dominus operari præcipit, ſic
operemur, vt mercedem pro-
miſſam dono gratiæ accipere
mereamur. Tempus eſt, opere-
mur, laboremus. Quinque illa
iuga boum, quæ ille inuitatus
in Euangelio, dum ad cœnā ve-
nire nollet, probare ſe velle di-
xit, & proptereà à cœna ſe ex-
cuſauit, quoniam ſibi ea, non
agriculturæ Dominicæ com-
parauit.

Lectio vi.

NOs ea ipſa quinque iuga
in agro Dominico iuga-
mus, terram duriſsimam ſulcis
ſpiritalibus exaremus, ſemen
verbi Dei proijcientes. Quaſcū-
que ſpinas malarum cupiditatū
inuenerimus, euellamus, eradi-
cemus, diuino igne ſuccenda-
mus: vt in tali opere laborātes,
Domino Deo noſtro fiduciali-
ter dicamus, Domine, Pater fa-
milias, quoniam te adiuuante
fecimus opus, quod iuſsiſti, red-
de mercedem quam promiſiſti.

In tertio Nocturno.

Lect. S. Euang. ſecundùm Ioan.

Lectio vij.

IN illo tempore: Dixit Ieſus
Diſcipulis ſuis. Ego ſum vi-
tis vera, & Pater meus agricola
eſt. Et reliqua.

Homil. S. Ioann. Chryſoſtomi.
*Homil. 75. in Ioannem, cap. 25.*

EGo vos purgaui, inquit, at-
que ſuperius hoc Patris
officium oſtendit: ſed nulla eſt
inter Patrē, & Filium differen-
tiā, iam veſtra opus eſt diligen-
tia. Inde ne ſe eorum miniſterij
indigentia, ſed vtilitate hoc fa-
cere demonſtraret, addit: Sicut
palmes non poteſt facere fructū
à ſemetipſo, niſi manſerit in vi-
te: ſic vos niſi in me manſeritis.
Vt enim metu laxato eorū ani-
mo non diſcederent, eos cohi-
bet, & ſibi conglutinat, & bonā
ſpem habere iubet. Radix enim
manet: incidi autem & auferri
palmitum eſt.

Lectio viij.

QVi manet in me, & ego
in eo. Ecce filiū non mi-
noris eſſe, quā patrē po-
teſtatis ad diſcipulos excitādos
Pater purgat, Filius in eo ma-
net. Manere enim in radice, fa-
cit vt palmites fructum faciāt.
Quod ſi nō purgatus in vite pal-
mes manſerint, fert quidē fru-
ctū, ſed non debitum; qui verò
nō manet in vite, nihil parit. Ve
rū purgare, filij etiā eſſe oſten-
ditur, & manere in radice pa-
tris, qui ipſam radicē generauit.
Vides quomodo omnia cōmu-
nia ſunt, & purgare, & à radice
virtutum habere? Lectio ix.

MIttetur, inquit, foras, ne-
que amplius ab agricola
curabitur, & areſcet. Hoc eſt, ſi
quid habuit à radice, ſi quā gra-
tiā amitteret, & omni inde au-
xilio, & vita ſpoliabitur, & vn-
dē in ignē mittetur, ſed non ta-
lis, qui manet in vite. Inde oſte-
dit, qui ſit in ea manere, in-
quiens: Si verba mea in vobis
manſerint. Vides (quid & ſupe-
rius

rius merito dicebam) ipſa opera Chriſtum exigere, cum enim dixiſſet quodcumque, ſi quid petieritis, faciam, addidit. Si diligetis me, mandata mea ſeruate.

## DIE XVIII. MAII.

Quarta infra Octauam.

In primo Nocturno. Lectio. de ſcriptura occurrenti.

In ſecundo Nocturno.

Sermo S. Athanaſij Epiſcopi.

*In vita S. Antonij Heremitæ.*

Lectio iv.

Conſideremus, fratres, Domini eſſe nos famulos, & ſeruitutē deberi ei, à quo creati ſumus. Vt enim ſeruus præteriti gratia famulatus, præſens, aut futurum non contemnit imperium, nec audet aſſerere, quod ex labore tranſacto, inſtantis operis habere debeat libertatem, ſed iugi ſtudio (vt in Euāgelio ſcriptum eſt) eandem ſemper exhibet ſeruitutem, vt & Domino placere poſſit, ſic & nos diuinis congruit parere præceptis, ſcientes, quòd æquus ille retributor, in quo quemque inuenerit, in eo ſit iudicaturus.

Lectio v.

Ideò precor, vt ad finē propoſiti omni labore tendamus. Nemo poſt tergum reſpiciens, Lot imitetur vxorē, præſertim cum Dominus dixerit nullum ponentem manum ſuper aratrum, & reſpicientē retrorſum, dignū eſſe regno cœlorum. Reſpicere autē retrorſum nihil aliud eſt, quàm in eo pœnitere, quod cœperis, & mūdanis rurſus deſiderijs obligari. Nolite quæſo, virtutis tanquam impoſſibile nomē pauere, nec peregrinum vobis, aut procul poſitum videatur hoc ſtudium, quod ex noſtro (Dei gratia præcedente) pendet arbitrio. Huius operis homini inſerta natura eſt, & eiuſmodi res eſt, quæ noſtram tantummodo expectat voluntatem.

Lectio vi.

Vnde Dominus in Euangelio ait, regnum Dei intra vos eſt. Virtus, quæ in nobis eſt, mentem tantum requiret humanam. Cui enim dubium eſt, quia naturalis animæ puritas, ſi nulla fuerit extrinſecus ſordes polluta, fons ſit & origo virtutum Bonam neceſſe eſt eſſe eam, quam creauit bonus Creator. Quod ſi fortè cunctabimur, audiamus Ieſum filium Nauæ populo dicentem: Rectū facite cor veſtrum ad Dominū Deum Iſrael. Nec Ioannes diſſonam tulit de virtute ſententiam prædicans. Rectas facite ſemitas eius: ſiquidem hoc eſt rectam eſſe animam, cum eius principalis integritas nulla vitiorum labe maculatur.

In tertio Nocturno.

Lectio S. Euangelij ſecundùm Ioannem.

Lectio vii.

In illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Ego ſum vitis vera, & Pater meus agricola eſt. Et reliqua.

Homil. S. Auguſtini Epiſcop.

*Tract. 80. in Ioannem 21.*

Iſte locus Euangelicus, fratres, vbi ſe dicit Dominus vitem, & diſcipulos ſuos palmites, ſecundum hoc dicit, quo eſt caput Eccleſiæ, noſque mēbra eius, mediator Dei & hominū homo Chriſtus Ieſus. Vnius quippè naturæ ſunt vitis, & palmites. Propter quod cum eſſet Deus, cuius naturæ non ſumus, factus eſt homo, vt in illo eſſet vitis humana natura, cuius & nos homines palmites eſſe poſſemus.

Lectio viii.

Qvid ergo eſt; Ego ſum vitis vera? Numquid vt adderet, vera, hoc ad eam vitem retulit, vnde iſta ſimilitudo tranſlata eſt? Sic enim dicitur vitis per ſimilitudinem, non per proprietatem: quemadmodum dicitur ouis, agnus, leo, petra, lapis angularis, & cetera huiuſmodi. Quæ magis ipſa ſunt vera, ex quibus dicuntur iſtæ ſimilitudines, non proprietates. Sed cùm dicit. Ego ſum vitis vera, ab illa ſe vtique diſcernit, cui dicitur. Quomodo conuerſa es in amaritudinem vitis aliena? Nam quo pacto eſt vitis vera, quæ expectata eſt, vt faceret vuam, fecit autem ſpinas.

Lectio ix.

Ego ſum, inquit, vitis vera, & Pater meus agricola eſt. Numquid vnum ſunt agricola, & vitis? Secundum hoc ergo vitis Chriſtus, ſecundū quod ait: Pater maior me eſt. Secundum autem id, quod ait, Ego, & Pater vnum ſumus, & ipſe agricola eſt: nec talis quales ſunt qui extrinſecus operando exhibent miniſterium; ſed talis, vt det etiam intrinſecus incrementum. Nam neque qui plantat, eſt aliquid, neque qui rigat; ſed qui incrementū dat Deus. Sed vtique Deus eſt Chriſtus, quia Deus erat Verbū: vnde ipſe & Pater vnum ſunt: & ſi Verbum caro factū eſt, quod non erat, manet quod erat.

In ſecundis Veſperis commem. S. Pudentianæ virginis.

## DIE XIX. MAII.

Quinta intra Octauam.

In primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In Laudib. pro comm. S. Pudentianæ Aña. Simile.

In ſecundo Nocturno.

Lectio iii.

*Homil 20 in Euangel.*

Omnis vallis implebitur, & omnis mons, & collis humiliabitur. Quod hoc loco vallium nomine, niſi humiles? Quid montium, & collium, niſi ſu-

ſuperbi homines deſignantur? In aduentu ergo Redemptoris valles impletæ, montes verò, & colles humiliati, ſunt; quia iuxta eius vocem: Omnis qui ſe exaltat, humiliabitur, & omnis qui ſe humiliat, exaltabitur. Vallis etenim impleta creſcit: mons autem, & collis humiliatus decreſcit.

Lectio v.

Omnis enim vallis implebitur: quia corda humiliũ ſanctæ doctrinæ eloquio virtutum gratia replebuntur, iuxta hoc, quod ſcriptum eſt: Qui emittit fontes in conuallibus. Et vnde rurſum dicitur: Et cõualles abundabunt frumento. A montibus namque aqua dilabitur, quia ſuperbas mẽtes varietatis doctrina deſerit. Iam videmus, iam conualles frumento abundare conſpicimus, quia illorum ora pabulo veritatis impleta ſunt, qui mites, ac ſimplices huic mũdo deſpicabiles eſſe videbantur.

Lectio vj.

*Idem lib. 32. Moral cap. 7.*

Vnde miro & diuerſo modo res agitur, vt humiles cœlum petant, dum ſe inferius deijciunt: ſuperbi infima appetant, dum deſpiciendo cæteros quaſi in altioribus extolluntur. Iſti ſe dum deſpiciunt, cæleſtibus iunguntur: illi dum ſe erigunt, à ſuperioribus diuidũtur: atque, vt ita dixerim, illi ſe eleuantes deprimunt, iſti ſe deprimentes eleuant.

In tertio Nocturno.

Lectio S. Euang. ſecundũ Ioan.

Lectio vij.

IN illo tempore: Dixit Ieſus Diſcipulis ſuis: Ego ſum vitis vera, & Pater meus agricola eſt. Et reliqua.

Homilia S. Auguſtini Epiſcopi.

*In eodem Tract. 80. in Ioann.*

DEnique, cum de Patre, tãquam de agricola dixiſſet, quod infructuoſos palmites tollat, fructuoſos autẽ purget, vt plùs afferant fructus; continuo etiam ſeipſum mundatorẽ palmitum oſtendens. Iam vos, inquit, mundi eſtis, propter ſermonem, quem locutus ſum vobis. Ecce ipſe mundator, eſt palmitum, quod eſt agricolæ, non vitis officium, qui etiam palmites operarios ſuos fecit: nam & ſi non dant incrementum, impendunt tamen aliquod adiumentum, ſed non de ſuo, quia ſine me, inquit, nihil poteſtis facere.

Lectio viij.

AVdi etiam ipſos confitẽtes. Quid autẽ eſt Apollo? Quid autem Paulus? Miniſtri, per quos crediditis, & vnicuique, ſicut Dominus dedit. Ego plantaui, Apollo rigauit, & hoc vtique ſicut Dominus dedit, non vtique de ſuo. Iam verò, quod ſequitur, Deus incrementum dedit, nõ per illos, ſed per



per ſeipſum facit. Excedit hoc humanam humilitatem, excedit Angelicam ſublimitatem, neque omnino pertinet, niſi ad agricolam Trinitatem.

Lectio nona de ſancta Pudẽtiana virgin. niſi venerit in fer. ij. aut iiij. Rogationũ, quia tunc fiet de Homil. feriæ, cum commemorat. ad Laud.

PVdentiana Virgo Pudentis Romani filia, parentibus orbata, cum admirabili pietate Chriſtianam religionem coleret, vna cum ſorore Praxede pecuniam ex vendito patrimonio redactam pauperibus diſtribuit, ſeque ieiunijs, & orationibus dedit. Cuius etiã opera tota eius familia, in qua erant nonaginta ſex homines, à Pio Pontifice baptizata eſt. Quod autem ab Antonino Imperatore ſancitum erat, ne Chriſtiani publicè ſacrificia facerent Pius Pontifex in ædibus Pudẽtianæ cum Chriſtianis ſacra celebrabat. Quibus illa benignè acceptis, quæ ad vitam neceſſaria eſſent, ſuppeditabat. Itaque in his Chriſtianæ pietatis officijs migrauit è vita, & in ſepulchro patris ad cœmeterium Priſcillæ via Salaria ſepulta eſt, decimoquarto Kalend. Iunij.

DIE XX. MAII.

Bernardini Senenſis à capitulo de feſto, vt in Breuiario, cum comm. octauæ.

DIE XXI. MAII.

[illegible]

Si hac die occurat Feſt. Corp. Chriſt. fit de feſto, ſine comm. Iſidori, & in ij. Veſp. fiet com. diei Oct. S. Iſidori, vt in j. Veſp. feſti.

In primo Noct. Lect. de Scriptura occurr. In ſecundo Noct.

Lectio S. Bernardi Abbatis.

*In Pſalm. Qui habitat. Ser. 7.*

Lectio iv.

AT tẽtus ſanè agricola paupere excolit fundum, ſed cui fortè nulla amplior, pretioſiorvè ſit poſſeſsio. Buccellam panis in ſinu ſuo mendicus abſcondit; quod in ſacellis ſuis ſolum hoc metalli genus arrugiſnet. Tu quid ita extremæ huic paupertati, & quidẽ proprij malè prodigus laboris incumbis? Eſt & alia tibi poſſeſsio, etſi fortè remota. Erras, nihil tam propriè nos, quàm quòd intra nos eſt. At fortè non quidem longius poſitam, ſed mutilem eſſe cauſaris, vt hic tibi quærẽdam magis ſufficiẽtiam putes. Falleris ibi magis inuenies, imò non inuenies, niſi ibi.

Lectio v.

AN verò æſtimas, quod vel operam tuam nõ exigat, vel minus reſpondeat operati? Aut certè in tuto credis eſſe locutam, nec vlla deinceps ſolicitudine cuſtodis egere? Quolibet horum ſapias, ſcito, quod deſipias vehementer. Ibi

 enim

enim quam maximè, quæ ſeminauerit homo, hæc, & metet. Sed & qui parcè ſeminat, parcè, & metet: qui verò in benedictionibus ſeminauerit, de benedictionibus, & metet, vt faciat vnum triceſimum, vnum ſexageſimum, vnum centeſimum.

[illegible]

*Ex tract. eiuſdem S. Bernardi de interiore domo, in principio.*

DIligenter exerce agrum tuum, ait ſapiẽs, vt poſtea ædifices domum tuam. Ager iſte corpus noſtrum eſt, cuius ſenſibus & moribus, ſic rectè vtimur, animique imperio eos ſubijciẽtes in vſum virtutis inflectimus, dum corpus animo indeſinenter, & animus Deo ex toto ſubijcitur. His nimirum modis interior conſcientia ædificatur.

In tertio Nocturno.

Lectio S. Euangelij ſecundùm Ioannem.

Lectio vij.

IN illo tempore: Dixit Ieſus Diſcipulis ſuis: Ego ſum vitis vera, & Pater meus agricola eſt. Et reliqua.

Homilia ſancti Auguſtini Epiſcop.

*Tract. 81. in Ioann. 3.*

EGo, inquit, ſum vitis, vos palmites; qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum, quia ſine me nihil poteſtis facere. Ne quiſquã putaret ſaltem paruum aliquẽ fructum poſſe à ſemetipſo palmitem ferre; cum dixiſſet, hic fert fructum multum, non ait: quia ſine me parum poteſtis facere, ſed nihil poteſtis facere. Siue ergo parum, ſiue multum, ſine illo fieri non poteſt, ſine quo nihil fieri poteſt: quia etſi parum attulerit palmes, cum purgat agricola, vt plus afferat.

[illegible]

SI quis in me, inquit, non mãſerit, mittetur foras, ſicut palmes, & areſcet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet. Ligna, itaque vitis tantò ſunt contemptibiliora, ſi in vite non manſerint, quãtò glorioſiora, ſi manſerint: denique ſicut de ijs etiam per Ezequielem Prophetã Dominus dicit, præciſa nullis agricolarum vſibus proſunt, nullis fabrilibus operibus deputantur. Vnum de duobus palmiti congruit, aut vitis, aut ignis. Si in vite non eſt, in igne erit: vt ergo in igne non ſit, in vite ſit.

[illegible]

SI manſeritis in me, inquit, & verba mea in vobis manſerint, quodcumque volueritis petetis, & fiet vobis. Manendo quippè in Chriſto, quid velle poſſunt niſi quod cõuenit Chriſto? Quid velle poſſunt manendo in Saluatore, niſi quod non eſt alienũ à ſalute? Aliud quippè volumus, quia ſumus in Chriſto, & aliud volumus, quia ſumus adhuc in hoc ſæculo. De manſione namque huius ſæculi nobis aliquando ſubrepit, vt hoc petamus, quod nobis non expedire neſcimus. Sed abſit, vt fiat nobis ſi maneamus in Chriſto: qui non facit quando petimus, niſi quod expedit nobis.

[illegible] Aſcenſ. [illegible] Corporis Chri- [illegible] S. Iſidori [illegible]

Si vero Octau. S. Iſidori venerit in Vigilia Pentecoſtes, [illegible] ad Veſperas [illegible] Aña. **Domine quinque talenta,** [illegible] Confeſſor. non Pontif. [illegible] Aſcenſ. Aña. ad Magnific. **Cum venerit, Paraclytus. Dominus in cælo,** [illegible] Octau. S. Iſidori ad Laudes tantum [illegible] Octau. [illegible] ad Primam.

DIE XXIII. MAII.

In Octaua.

Si venerit infra Octau. Aſcenſ. aut Corporis Chriſti, ſic de S. [illegible] cum commem. Octau. quæ occurrerit.

Omnia ſicut in feſto, præter Lectiones.

In primo Noct. Lect. de Scriptura occurrenti.

In ſecundo Nocturno.

Sermo S. Bernardi Abbatis.

*Serm. 2. omnium Sanctorum.*

Lectio iv.

QVia S. Iſidori agricolæ feſtiuam hodie, deuotiſsimam, omnique digniſsimam nobis deuotione memoriam celebramus, operę pretium putò, de eius fælicitate, in qua beata iam requie perfruitur, ſermonem facere charitati veſtræ. Erit enim, præſtãte Domino, triplex ſermonis vtilitas, quatenus agnita, vel ex parte aliqua fælici retributione Sanctorum abundantiori, deinceps ſolicitudine ipſorum inhærere veſtigijs, ac feruentiori deſiderio ad eorum ſuſpirare conſortia, propẽſiori quaque deuotione, eorumdem nos commendare patrocinijs ſtudeamus.

Lectio v.

FIdelis quippè ſermo eſt, & omni acceptione dignus, vt quos ſolemni veneratione proſequimur, etiam ſimili conuerſatione ſequamur: quos beatiſsimos prædicamus, ad eorũ beatitudinẽ tota auiditate curramus; quorum delectamur

præconiis, ſubleuemur eorum patrociniis. Nec ſanè parũ fructuoſa inuenitur memoria feſtiua Sanctorum, languorem tẽporum, erroremque depellens, cum eorum interceſsione iuuetur infirmitas noſtra, conſideratione beatitudinis excitetur negligentia noſtra, ignorantia quoque noſtra ipſorum erudiatur exemplis.

Lectio vi. *Poſt multa.*

SIc enim de præſenti ſanctorum requiem habemus in Pſalmo ſcriptum. Conuertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi; bene, inquam fecit, audi quam benè. Quia eripuit animam meã de morte, oculos meos à lachrymis, pedes meos à lapſu, id eſt, à peccato omni, & à peccati pœna, à timore quoque, & à periculo recidendi penitus liberauit. Hoc eſt ſuauiſsimũ animæ ſtratũ, quod nullis iam lauet, aut riget lachrymis, quãdo abſtergit Deus omniũ lachrymã ab oculis eius. Hoc cubile, in quo ira nõ cõpũgitur, nec cõuertitur in ærũna ſua, dũ configitur ſpina. Exijt enim de terra illa, quæ ſpinas ei, & tribulos germinabat.

In tertio Nocturno.

Lectio S. Euang. ſecundũ Ioan.

Lectio vii.

IN illo tempore: Dixit Ieſus Diſcipulis ſuis: Ego ſum vitis vera, & Pater meus agricola eſt. Et reliqua.

**Homil. S. Hilarij Epiſcopi.**

*Enarratione in Pſalm. 51.*

SI quis igitur per fidem corporati Dei manere in natura aſſumpti à Deo corporis merebuntur, hi mundantur in fructus æternos ex ſe afferendos; quia neceſſe eſt, vt natura veræ vitis propago intra vitem manens teneat. At verò, qui incredulus nati in corpore Dei fuerit, ſi & credens maneat, fructibus tamen fidei ſuæ careat, eradicabitur, aut ob infidelitatem, aut ob inutilitatem fructuum negatorum.

Lectio viii.

NAtus enim ex virgine filius hominis cũ eſſet Dei filius, naturã in ſe vniuerſæ carnis aſſumpſit; per quam effectus vera vitis, genus in ſe vniuerſæ propaginis tenet. Si qua ergo propago infidelis, aut infructuoſa eſt, eradicandam ipſa ſe præbet: per naturam quidem manens, ſed per infidelitatem, ac inutilitatem euellitur.

Lectio ix.

QVi enim non manebit in Christo, regni Chriſti incola non erit. Non erit autem non quod ſibi non patuerit incolatus (vniuerſis enim paret, vt conſortes ſint corporis Dei, atque regni, quia Verbum caro factum eſt, & habitabit in nobis, naturam ſcilicet in ſe totius humani generis aſſumens) ſed vnuſquiſque pro merito, & euellendum ſe de tabernaculo, & eradicãdum de terra viuentium præbet, nõ prohibitus in eſſe, qui per naturæ aſſumptionem incola ſit receptus: ſed eradicatur ob crimen naturæ conſortio indignus exiſtens.

Si die ſequenti fuerit Feſtum Aſcenſ. Pentec. aut Corporis Chriſti. Veſperæ erunt de Feſto ſine commemor. S. Iſidori.

Et quando Feſt. SS. Cleti, & Marcelini mart. Petri mart. Catharinæ virginis, Staniſlai Epiſcop. & mart. Nerei, &c. transferuntur poſt Octau. S. Iſidori, in ſecundis Veſper. diei Octauæ fiat commem. feſti tranſlati, eo ordine quod dictum eſt ſup. vel de Dominica, ſi ſequatur.

---

# DIE XXXI. IVLII.

In Feſto S. Ignatij Societatis Ieſu Fundatoris Confeſſoris nõ Pontificis, duplex.

Omnia de Communi Confeſſoris non Pontificis, præter ea, quæ ſequuntur.

Oratio.

DEus, qui ad maiorem tui Nominis gloriam propagandam, nouo per B. Ignatium ſubſidio, militãtem Eccleſiam roboraſti; concede, vt eius auxilio, & imitatione certantes in terris, coronari cum ipſo mereamur in cœlis. Qui viuis & regnas, &c.



Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In ij. Nocturno.

Lectio iv.

IGnatius natione Hiſpanus, nobili genere, Loyolæ in Cãtabria natus, primò Catholici Regis aulam, deindè militiam ſecutus eſt. In propugnatione Pampelonenſi, accepto vulnere grauiter decumbens, ex fortuita piorum librorum lectione, ad Chriſti, ſanctorumque ſectanda veſtigia mirabiliter exarſit. Ad Montem Serratum profectus, ante aram B. Virginis ſuſpenſis armis, noctem excubans, ſacræ militiæ tyrocinium poſuit. Indè, vt erat indutus ſacco, traditis anteà mendicis pretioſis veſtibus, Manreſam ſeceſsit. Vbi emendicato pane, & aqua victitans, exceptiſquè diebus Dominicis ieiunans, aſpera catena, cilicioque carnem domans, humi cubans, & ferreis ſe flagellis cruentãs, per annum cõmoratus eſt: claris adeò illuſtrationibus à Deo recreatus, vt poſteà dicere ſolitus ſit. Si ſacræ litteræ nõ extarent, ſe tamen pro fide mori paratum ex iis ſolum, quæ ſibi Mãreſæ patefecerat Dominus. Quo tempore, homo litterarũ planè rudis, admirabilem illum compoſuit Exercitiorum librum, Sedis Apoſtolicæ iudicio, & omnium vtilitate comprobatum.



Le:

Lectio v.

VT verò ſe ad animarum lucra ritè formaret, ſubſidium litterarum, à grammatica inter pueros exorſus, adhibere ſtatuit. Cumquè nihil interim omitteret de ſtudio alienæ ſalutis, mirum eſt, quas vbiquè locorum ærumnas, ac ludibria deuorauerit, aſperrima quæquè, & vincula, & verbera penè ad mortem vſque perpeſſus: quibus tamen longè plura pro Domini ſui gloria ſemper expetebat. Lutetiæ Pariſiorum adiunctis ſibi ex illa Academia, variarum nationum ſocijs nouem, qui omnes Artium magiſterijs, & Theologiæ gradibus inſignes erant, ibidem in Monte Martyrũ prima Ordinis fundamenta iecit: quem poſteà Romæ inſtituens, ad tria conſueta, quarto addito de Miſſionibus voto, Sedi Apoſtolicæ arctius adſtrinxit: & Paulus Tertius primò recepit, cõfirmauitquè: mox alij Pontifices, ac Tridentina Synodus probauere. Ipſe autem miſſo ad prædicandum Indis Euangelium ſancto Franciſco Xauerio, alijſquè in alias mundi plagas ad Religionem propagandam diſſeminatis, ethnicæ ſuperſtitioni, hæreſiquè bellum indixit, eo ſucceſſu continuatum, vt conſtans fuerit omnium ſenſus, etiam Pontificio confirmatus oraculo, Deum ſicut alios alijs temporibus ſanctos viros, ita Luthero, eiuſdemque temporis hæreticis, Ignatium, & inſtitutam ab eo Societatē obieciſſe.

Lectio vi.

SEd in primis inter Catholicos inſtaurare pietatem curæ fuit. Templorum nitor, Catechiſmi traditio, Cõcionum, ac Sacramentorum frequentia ab ipſo incrementum accipere. Ipſe apertis vbiquè locorum ad iuuentutem erudiendam in litteris, ac pietate gymnaſijs: erectis Romæ Germanorum collegio: Malenuptarum, & periclitãtium puellarum cænobijs, vtriuſque ſexus tam Orphanorum, quàm Catechumenorum domibus: alijſque pietatis operibus, indefeſſus lucrandis Deo animis inſtabat; auditus aliquãdo dicere, Si optio daretur, malle ſe beatitudinis incertũ viuere, & interim Deo inſeruire, & proximorum ſaluti; quàm certum eiuſdem gloriæ ſtatim mori. In Dæmones mirũ exercuit imperium. Vultum eius cæleſti luce radiantem Sanctus Philippus Nerius, alijque conſpexere. Deniquè ætatis anno ſexageſimo quinto, ad Domini ſui amplexum, cuius maiorem gloriam in ore ſemper habuerat, ſemper in omnibus quæſierat, emigrauit. Quem Gregorius XV. magnis in Eccleſiã meritis, & miraculis illuſtrem, Sanctorum faſtis adſcripſit.

In tertio Noct. Euangelium Sint lũbi veſtri præcincti. Homilia ... de Commune Confeſſ. non Pontif. ... Os iuſti. Prima Oratio ...

## DIE XVI. AVGVSTI.

In Feſto S. Rochi

[illegible]

## DIE XVII. SEPTEMBRIS.

In Feſto de Nomine Beatiſſimæ Virginis Mariæ ...

Ad Veſperas. Ant.

Miſſus eſt Angelus Gabriel ad Virginem deſponſatã Ioſeph, & nomen Virginis Maria.

Pſalmus. 109.

DIxit Dominus Domino meo: * ſede à dextris meis.

Donec ponam inimicos tuos, * ſcabellum pedum tuorum.

Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion: * dominare in medio inimicorum tuorum.

Tecum principium in die virtutis tuæ in ſplendoribus ſanctorum: * ex vtero ante luciferum genui te.

Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum: * tu es Sacerdos in æternum, ſecũdùm ordinem Melchiſedech.

Dominus à dextris tuis, * confregit in die iræ ſuæ reges.

Iudicabit in nationibus, implebit ruinas: * conquaſſabit capita in terra multorum.

De torrẽte in via bibet: * propterea exaltabit caput.

Gloria Patri, & Filio, * & Spiritui Sancto.

Sicut erat in principio, & nunc & ſemper; * & in ſæcula ſæculorum. Amen.

Ant. Miſſus eſt Angelus Gabriel ad Virginem deſponſatam Ioſeph, & nomen Virginis Maria.

Ant. A ſolis ortu vſque ad occaſum, laudabile nomen Domini, & Mariæ matris eius.

Pſalm. 112.

LAudate pueri Dominũ: * laudate nomen Domini.

Sit nomẽ Domini benedictũ, * ex hoc nunc, & vſque in ſæculum.

A ſolis ortu vſque ad occaſum, * laudabile nomen Domini.

Excelſus ſuper omnes gentes Dominus, * & ſuper cælos gloria eius.

Quis ſicut Dominus Deus noſter, qui in altis habitat, * & humilia reſpicit in cœlo, & in terra? uſ-

Suſcitans à terra inopem, * & de ſtercore erigens pauperem.
Vt collocet eum cum principibus, * cum principibus populi ſui.
Qui habitare facit ſterilem in domo, * matrem filiorum lætãtem.
Gloria Patri, & Filio, * & Spiritui ſancto.
Sicut erat in principio & nunc, & ſemper, * & in ſæcula ſæculorum. Amen.
Antiph. A ſolis ortu vſque ad occaſum laudabile nomen Domini, & Mariæ matris eius.
Añ. Aue Maria gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.

Pſalm. 121.

Lætatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi: * in domum Domini ibimus.
Stantes erant pedes noſtri, * in atrijs tuis Hieruſalem.
Hieruſalem quæ ædificatur vt ciuitas: * cuius participatio eius in idipſum.
Illuc enim aſcẽderunt tribus, tribus Domini: * teſtimonium Iſrael: ad confitendum nomini Domini.
Quia illic ſederunt ſedes in iudicio, * ſedes ſuper domum Dauid.
Rogate quæ ad pacẽ ſunt Hieruſalem: * & abundantia diligẽtibus te.
Fiat pax in virtute tua: * & abũdantia in turribus tuis.
Propter fratres meos, & proximos meos, * loquebar pacem de te.
Propter domum Domini Dei noſtri, * quæſiui bona tibi.
Gloria Patri, & Filio, * & Spiritui ſancto.
Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, * & in ſæcula ſæculorum. Amen.
Añ. Aue Maria gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.
Añ. Permaneat & magnificetur nomen tuum vſque in ſempiternum, ò Maria.

Pſalm. 126.

Niſi Dominus ædificauerit domum, * in vanum laborauerunt qui ædificant eam.
Niſi Dominus cuſtodierit ciuitatem, * fruſtra vigilat, qui cuſtodit eam.
Vanum eſt vobis ante lucem ſurgere: * ſurgite poſtquam ſederitis, qui manducatis panem doloris.
Cum dederit dilectis ſuis ſomnum: * ecce hæreditas Domini, filij merces, fructus ventris.
Sicut ſagittæ in manu potẽtis: * ita filij excuſſorum.
Beatus vir, qui impleuit deſiderium ſuum ex ipſis: non confundetur, cum loquetur inimicis ſuis in porta.
Gloria Patri, & Filio, * & Spiritui ſancto.
Sicut erat in principio, * & nunc & ſemper: & in ſecula ſæculorũ. Amen.

Añ.



Añ. Permaneat & magnificetur nomen tuum, vſque in ſempiternum, ò Maria.
Añ. Lauda Ieruſalem Dominum: lauda inclytum nomen Mariæ.

Pſalm. 147.

Lauda Ieruſalem Dominum: * lauda Deum tuum Sion.
Quoniam cõfortauit ſeras portarum tuarum: * benedixit filijs tuis in te.
Qui poſuit fines tuos pacem: * & adipe frumenti ſatiat te.
Qui emittit eloquium ſuum terræ: * velociter currit ſermo eius.
Qui dat niuem ſicut lanam: * nebulam ſicut cinerem ſpargit.
Mittit cryſtallum ſuam ſicut buccellam: * ante faciem frigoris eius quis ſuſtinebit?
Emittet verbum ſuum, & liquefaciet ea: * flabit ſpiritus eius, & fluent aquæ.
Qui annuntiat verbum ſuum Iacob: * iuſtitias, & iudicia ſua Iſrael.
Non fecit taliter omni nationi: * & iudicia ſua non manifeſtauit eis.
Gloria Patri, & Filio, * & Spiritui Sancto.
Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, * & in ſæcula ſæculorum, Amen.
Añ. Lauda Ieruſalem Dominum: lauda inclytum nomen Mariæ.

Capitulum. *Iud. cap. 13. c*

Benedicta es tu filia à Domino Deo excelſo, præ omnibus mulieribus ſuper terram. Quia hodie nomen tuum ita magnificauit, vt non recedat laus tua de ore hominum, qui memores fuerint virtutis Domini in æternum. Deo gratias.

Hymnus.

Ave maris ſtella,
Dei Mater alma,
Atque ſemper Virgo,
Fœlix cœli porta.
Sumens illud Aue
Gabrielis ore,
Funda nos in pace,
Mutans Heuæ nomen.
Solue vincla reis,
Profer lumen cæcis:
Mala noſtra pelle,
Bona cuncta poſce,
Monſtra te eſſe matrem,
Sumat per te preces,
Qui pro nobis natus,
Tulit eſſe tuus.
Virgo ſingularis,
Inter omnes mitis,
Nos culpis ſolutos,
Mites fac & caſtos.
Vitam præſta puram,
Iter para tutum,
Vt videntes Ieſum,
Semper collætemur.
Sit laus Deo Patri,
Summo Chriſto decus,
Spiritui Sancto,
Trinus honor vnus. Amen.

℣. Sit nomen Mariæ benedictum,

℟. Ex hoc nunc & vſque in ſæculum.

Ad Magnificat, Aña.

Mariæ nomen cunctas illuſtrat Eccleſias: cui fecit magna qui potens eſt, & ſanctum nomen eius.

Canticum B. M. V. *Luc. c. 1.*

MAgnificat * anima mea Dominum,

Et exultauit ſpiritus meus * in Deo ſalutari meo.

Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ: * ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.

Quia fecit mihi magna qui potens eſt: * & ſanctũ nomẽ eius.

Et miſericordia eius à progenie in progenies * timẽtibus eũ.

Fecit potẽtiã in brachio ſuo: * diſperſit ſuperbos mente cordis ſui.

Depoſuit potentes de ſede; * & exaltauit humiles.

Eſurientes impleuit bonis: * & diuites dimiſit inanes.

Suſcepit Iſrael puerum ſuum; * recordatus miſericordiæ ſuæ.

Sicut locutus eſt ad patres noſtros; * Abraham & ſemini eius in ſæcula.

Gloria Patri, & Filio, * & Spiritui ſancto,

Aña. Mariæ nomen cunctas illuſtrat Eccleſias, qui fecit magna, qui potens eſt, & ſanctũ nomen eius.

Oratio.

DEus, qui glorioſam matrẽ tuam nominari Mariã voluiſti: concede quæſumus, vt qui dulce eiuſdem Mariæ nomen implorãt, perpetuum ſentiant tuæ benedictionis effectum. Qui viuis, & regnas cum Deo Patre in vnitate Spiritus Sancti Deus. Per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

Ad Completorium.

℣. Iube Domne benedicere.

Benedictio. Noctem quietam, & finem perfectum concedat nobis Dominus omnipotens.

℟. Amen.

Lectio breuis. *1. Pet. 5. c.*

FRatres, Sobrij eſtote, & vigilate: quia aduerſarius veſter diabolus tamquam leo rugiens circuit, quærẽs quem deuoret: cui reſiſtite fortes in fide. Tu autem Domine, miſerere nobis. Deo gratias.

℣. Adiutorium noſtrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cœlum & terram.

Pater noſter.

COnfiteor Deo omnipotenti, beatæ Mariæ ſemper virgini, beato Michaeli Archangelo, beato Ioanni Baptiſtæ, ſanctis Apoſtolis Petro & Paulo, omnibus ſanctis, & vobis fratres: quia peccaui nimis cogitatione, verbo, & opere: mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa. Ideò precor beatam Mariam ſemper virginem, beatum Michaelem Archangelum, beatum Ioannem Baptiſtam, ſanctos Apoſtolos Pe-



Petrum & Paulum, omnes ſanctos, & vos fratres, orare pro me ad Dominum Deum noſtrum.

MIſereatur noſtri omnipotens Deus, & dimiſsis peccatis noſtris, perducat nos ad vitam æternam. ℟. Amen.

INdulgentiam, abſolutionẽ omnium peccatorũ noſtrorum tribuat nobis omnipotens, & miſericors Dominus.

℟. Amen.

COnuerte nos Deus ſalutaris noſter. ℟. Et auerte iram tuam à nobis.

℣. Deus in adiutorium meum intende. ℟. Domine ad adiuuandum me feſtina.

Gloria Patri, & Filio, * & Spiritui ſancto. Sicut erat in principio, & nunc & ſemper, * & in ſecula ſæculorũ. Amen. Alleluia.

Aña. Miſerere.

Pſalmus 4.

CVm inuocarem, exaudiuit me Deus iuſtitię meę: * in tribulatione dilataſti mihi.

Miſerere mei, * & exaudi orationem meam.

Filij hominum vſquequo graui corde? * vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendaciũ?

Et ſcitote, quoniã mirificauit Dominus ſanctum ſuum: * Dominus exaudiet me, cum clamauero ad eum.

Iraſcimini, & nolite peccare: * quæ dicitis in cordibus veſtris, & in cubilibus veſtris compungimini.

Sacrificate ſacrificium iuſtitiæ, & ſperate in Domino: * multi dicunt: Quis oſtendit nobis bona?

Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine: * dediſti lætitiam in corde meo.

A fructu frumenti, vini, & olei ſui * multiplicati ſunt.

In pace in idipſum * dormiã, & requieſcam.

Quoniam tu Domine ſingulariter in ſpe * conſtituiſti me.

Gloria Patri, &c.

Pſalmus 30.

IN te Domine ſperaui, non confundar in æternum: * in iuſtitia tua libera me.

Inclina ad me aurem tuam, * accelera vt eruas me.

Eſto mihi in Deum protectorem, & in domum refugij; * vt ſaluum me facias.

Quoniam fortitudo mea, & refugium meum es tu: * propter nomen tuum deduces me, & enutries me.

Educes me de laqueo hoc quẽ abſconderunt mihi: * quoniam tu es protector meus.

In manus tuas commendo ſpiritum meum: * redemiſti me Domine Deus veritatis.

Gloria Patri, &c.

Pſalmus 90.

QVi habitat in adiutorio Altiſsimi, * in protectione Dei cæli commorabitur.

Dicet Domino: Suſceptor

 meus

meus es tu, & refugium meũ: * Deus meus ſperabo in eum.
Quoniam ipſe liberauit me de laqueo venantium, * & à verbo aſpero.
Scapulis ſuis obũbrabit tibi: * & ſub pennis eius ſperabis.
Scuto circumdabit te veritas eius: * non timebis à timore nocturno.
A ſaggita volante in die, à negotio perambulante in tenebris: * ab incurſu, & dæmonio meridiano.
Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis: * ad te autem non appropinquabit.
Verumtamen oculis tuis conſiderabis: * & retributionẽ peccatorum videbis.
Quoniam tu es Domine ſpes mea: * altiſsimum poſuiſti refugium tuum.
Non accedet ad te malum: * & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.
Quoniam Angelis ſuis mandauit de te: * vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis.
In manibus portabunt te: * ne forte offendas ad lapidem pedẽ tuum.
Super aſpidem & baſiliſcũ ambulabis: * & conculcabis leonẽ & draconem.
Quoniam in me ſperauit liberabo eum: * protegam eum, quoniam cognouit nomen meum.
Clamauit ad me, & ego exaudiam eum: cum ipſo ſum in tribulatione: * eripiam eum & glorificabo eum.
Longitudine dierum replebo eum: * & oſtendam illi ſalutare meum.
Gloria Patri, & Filio, * & Spiritui Sancto.
Sicut erat in principio, & nunc & ſemper, * & in ſæcula ſæculorum. Amen.

Pſalm. 133.

Ecce nunc benedicite Dominum; * omnes ſerui Domini.
Qui ſtatis in domo Domini, * in atrijs domus Dei noſtri.
In noctibus extollite manus veſtras in ſancta; * & benedicite Dominum.
Benedicat tibi Dominus ex Siõ; * qui fecit cœlum & terrã.
Gloria Patri, & Filio, * & Spiritui Sancto.
Sicut erat in principio, &c.
Aña. Miſerere mihi Domine, & exaudi orationem meam.

Hymnus.

Te lucis ante terminum,
Rerum creator poſcimus;
Vt pro tua clementia,
Sis præſul ad cuſtodiam.
Procul recedant ſomnia:
Et noctium phantaſmata;
Hoſtẽque noſtrum cõprime,
Ne polluantur corpora.
Ieſu, tibi ſit gloria
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre, & almo Spiritu
In ſempiterna ſæcula. Amen.





Capitulum. *Ierem. 14. b*

Tv autem in nobis es Domine, & nomen ſanctum tuum inuocatum eſt, ſuper nos, ne derelinquas nos, Domine Deus noſter.
℟. Deo gratias.
In manus tuas Domine, commendo Spiritum meum.
In manus tuas Domine, commendo ſpiritum meum. Redemiſti nos Domine Deus veritatis. Commendo ſpiritum meum.
Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.
In manus tuas Domine, commendo ſpiritum meum.
℣. Cuſtodi nos Domine, vt pupillam oculi.
℟. Sub vmbra alarum tuarum protege nos.
Aña. Salua nos.

Canticum Simeonis. *Luc. 2. c*

Nvnc dimittis ſeruum tuũ Domine; * ſecundũ verbum tuum in pace:
Quia viderunt oculi mei, * ſalutare tuum.
Quod paraſti, * ante faciem omnium populorum.
Lumen ad reuelationẽ gentiũ; * & gloriam plebis tuæ Iſrael.
Gloria Patri, & Filio, * & Spiritui Sancto. Sicut erat in principio, & nunc & ſemper, * & in ſæcula ſæculorum, Amen.
Aña. Salua nos Domine vigilantes, cuſtodi nos dormientes: vt vigilemus cum Chriſto, & requieſcamus in pace.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

Viſita, quæſumus Domine, habitationem iſtam, & omnes inſidias inimici ab ea longe repelle: Angeli tui ſancti habitent in ea, qui nos in pace cuſtodiant: & benedictio tua ſit ſuper nos ſemper. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium tuum. Qui tecum viuit, & regnat in ſæcula ſæculorũ, Amen.
℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo. ℣. Benedicamus Domino. ℟. Deo gratias.
Benedictio. Benedicat & cuſtodiat nos omnipotens, & miſericors Dominus, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus.
℟. Amen.

Antiphona.

Salue regina, mater miſericordiæ. Vita, dulcedo, & ſpes noſtra: ſalue. Ad te clamamus exules, filij Heuæ. Ad te ſuſpiramus gementes & flentes in hac lachrymarũ valle. Eia ergo aduocata noſtra, illos tuos miſericordes oculos ad nos cõuerte. Et Ieſum benedictum fructũ ventris tui, nobis poſt hoc exilium oſtende. O clemens, O pia, O dulcis virgo Maria.

℣. Ora pro nobis ſancta Dei genitrix.
℟. Vt digni efficiamur promiſſionibus Chriſti. Oratio.

Omnipotens ſempiterne Deus, quiglorioſæ Virginis matris Mariæ corpus, & animam, vt dignum filij tui habitaculum effici mereretur, Spiritu ſancto cooperante præparaſti: da, vt cuius commemoratione lætamur, eius pia interceſsione ab inſtantibus malis, & à morte perpetua liberemur. Per eumdem Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Diuinum auxiliũ maneat ſemper nobiſcum. Amen.

Pater noſt. Aue Maria Credo.

Añ. Sacroſanctæ, & indiuiduæ Trinitati, crucifixi Domini noſtri humanitati, Beatiſsimæ & glorioſiſsimæ ſemperque Virginis Mariæ fœcundæ integritati, & omnium Sanctorum vniuerſitati, ſit ſempiterna laus honor, virtus, & gloria, ab omni creatura, nobiſque remiſsio omnium peccatorum, per infinita ſæculorum ſæcula. Amen.

℣. Beata viſcera Mariæ Virginis, quæ portauerunt æterni Patris filium.
℟. Et beata vbera quæ lactauerunt Chriſtum Dominum, Amen.

Pater noſter. Aue Maria.

Ad Matutinum.

Pater noſter. Aue Maria, Credo in Deum.

Domine labia me aperies.
℟. Et os meum annuntiabit laudem tuam.
℣. Deus in adiutorium meum intende.
℟. Domine ad adiuuandũ me feſtina.
Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto. Sicut erat in principio, & nunc & ſemper: & in ſæcula ſæculorum, Amen.
Alleluia.

Aue Maria gratia plena, Dominus tecum, Aue Maria gratia plena, Dominus tecum.

Pſalm. 94.

Venite exultemus Domino, iubilemus Deo ſalutari noſtro: præoccupemus faciem eius in confeſsione, & in pſalmis iubilemus ei.
Aue Maria gratia plena, Dominus tecum.
Quoniam Deus magnus Dominus, & Rex magnus ſuper omnes deos: quoniam non repellet Dominus plebem ſuam: quia in manu eius ſunt omnes fines terræ, & altitudines montium ipſe conſpicit.
Dominus tecum.
Quoniam ipſius eſt mare, & ipſe fecit illud, & aridam fundauerunt manus eius venite adoremus, & procidamus ante Deum: ploremus coram Domino, qui fecit nos, quia ipſe eſt Dominus Deus noſter: nos autem populus eius, & oues paſcuæ eius.

Aue



Aue Maria, gratia plena: Dominus tecum.
Hodie ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra, ſicut in exacerbatione, ſecũdùm diem tẽtationis in deſerto: vbi tentauerunt me patres veſtri, probauerunt, & viderunt opera mea.
Dominus tecum.
Quadraginta annis proximus fui generationi huic, & dixi ſemper, hi errant corde: ipſi vero non cognouerunt vias meas, quibus iuraui in ira mea, ſi introibunt in requiem meam.
Aue Maria gratia plena: Dominus tecum.
Gloria Patri, & Filio, * & Spiritui ſancto. Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, * & in ſæcula ſæculorum, Amen.
Dominus tecum.
Aue Maria gratia plena: Dominus tecum.

Hymnus.

Quẽ terra, pontus, ſidera
Colũt, adorãt prædicãt
Trinã regentem machinã,
Clauſtrum Mariæ baiulat.
Cui luna, ſol, & omnia
Deſeruiunt per tempora,
Perfuſa cæli gratia,
Geſtant puellæ viſcera.
Beata Mater munere,
Cuius ſupernus artifex,
Mundum pugillo continens,
Ventris ſub arca clauſus eſt,
Beata cæli nuntio,
Fœcunda Sancto Spiritu;
Deſideratus gentibus,
Cuius per aluum fuſus eſt.
Ieſu tibi ſit gloria,
Qui natus es de Virgine:
Cum Patre & almo Spiritu,
In ſempiterna ſæcula, Amen.

Añ. In vniuerſa terra admirabile eſt nomen tuum Maria.

Pſalmus 8.

Domine Dominus noſter, * quàm admirabile eſt nomen tuum in vniuerſa terra!
Quoniam eleuata eſt magnificentia tua, * ſuper cælos.
Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudẽ propter inimicos tuos, * vt deſtruas inimicũ & vltorem.
Quoniam videbo cælos tuos, opera digitorum tuorum: * lunam & ſtellas, quæ tu fundaſti.
Quid eſt homo, quòd memor es eius? * aut filius hominis, quoniam viſitas eum?
Minuiſti eum paulò minus ab Angelis, gloria & honore coronaſti eum: * & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum.
Omnia ſubiecisti ſub pedibus eius, * oues, & boues vniuerſas, inſuper & pecora campi.
Volucres cæli, & piſces maris, * qui perambulant ſemitas maris.
Domine Dominus noſter, * quàm admirabile eſt nomen tuum in vniuerſa terra!
Gloria Patri, & Filio, * & Spiritui ſancto. Sicut erat in principio,

pio, & nunc, & ſemper, * & in ſæcula ſæculorum, Amen.

Aña. In vniuerſa terra admirabile eſt nomen tuum Maria.

Aña. In omnem terram diffuſa eſt laus nominis Mariæ.

Pſalm. 18.

CÆli enarrant gloriã Dei, * & opera manuum eius annunciat firmamentum.

Dies diei eructat verbum, * & nox nocti indicat ſcientiam.

Non ſunt loquelæ, neque ſermones; * quorum non audiantur voces eorum.

In omnem terram exiuit ſonus eorum: * & in fines orbis terræ verba eorum.

In ſole poſuit tabernaculum ſuum: * & ipſe tanquam ſpõſus procedens de thalamo ſuo.

Exultauit vt gigas ad currendã viam; * à ſummo cælo egreſsio eius.

Et occurſus eius vſque ad ſummum eius: * nec eſt qui ſe abſcondat à calore eius.

Lex Domini immaculata, cõuertens animas: * teſtimonium Domini fidele, ſapientiã præſtans paruulis.

Iuſtitiæ Domini rectæ, lætificãtes corda: * præceptum Domini lucidum, illuminans oculos.

Timor Domini ſanctus, permanens in ſæculum ſæculi: * iudicia Domini vera, iuſtificata in ſemetipſa.

Deſiderabilia ſuper aurum & lapidem pretioſum multum: * & dulciora ſuper mel, & fauũ.

Etenim ſeruus tuus cuſtodit ea: * in cuſtodiendis illis retributio multa.

Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me: * & ab alienis parce ſeruo tuo.

Si mei non fuerint dominati, tũc immaculatus ero: * & emũdabor à delicto maximo.

Et erũt vt cõplaceant eloquia oris mei: * & meditatio cordis mei in conſpectu tuo ſemper.

Domine adiutor meus; * & redemptor meus.

Gloria Patri, & Filio, * & Spiritui Sancto. Sicut erat in principio, & nunc & ſemper, * & in ſæcula ſæculorum, Amen.

Aña. In omnem terram diffuſa eſt laus nominis Mariæ.

Aña. Super maria, & flumina fundauit Mariam, & dedit illi nomen virtutum Rex gloriæ.

Pſalm. 23.

DOmini eſt terra, & plenitudo eius; * orbis terrarũ, & vniuerſi qui habitant in eo.

Quia ipſe ſuper maria fundauit eum: * & ſuper flumina præparauit eum.

Quis aſcendit in montem Domini? * aut quis ſtabit in loco ſancto eius?

Innocens manibus & mundo corde, * qui non accepit in vano animam ſuam, nec iurauit in dolo proximo ſuo.

Hic accipiet benedictionem à Domino: * & miſericordiam



à Deo ſalutari ſuo.

Hæc eſt generatio quærentium eum, * quærentium faciem Dei Iacob.

Attollite portas principes veſtras, & eleuamini portæ æternales: * & introibit Rex gloriæ.

Quis eſt iſte Rex gloriæ? * Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio.

Attollite portas principes veſtras, & eleuamini portæ æternales; * & introibit Rex gloriæ.

Quis eſt iſte Rex gloriæ? * Dñs virtutum ipſe eſt Rex gloriæ.

Gloria Patri, &c. Sicut erat.

Aña. Super maria, & flumina fundauit Mariam, & dedit illi nomen virtutum Rex gloriæ.

℣. Magnificate Mariam Virginem mecum. ℟. Et exaltemus nomen eius in æternum.

Pater noſter, &c.

℣. Et ne nos inducas in tentationẽ. ℟. Sed libera nos à malo.

Abſolutio.

EXaudi Domine Ieſu Chriſte, preces ſeruorum tuorum, & miſerere nobis: qui cum Patre & Spiritu Sancto viuis & regnas in ſæcula ſæculorum. Amen.

Iube Domne benedicere.

Benedictio. Benedictione perpetua benedicat nos Pater æternus. Amen.

*De lib. Exod. c. 15.* Lectio i.

SVmpſit ergo Maria Profetiſſa, ſoror Aaron, tympanum in manu ſua: egreſſæque ſunt omnes mulieres poſt eam cum tympanis & choris, quibus præcinebat, dicens: Cantemus Domino, glorioſè enim magnificatus eſt, equum & aſcenſorem eius deiecit in mare.

Tu autem Domine miſerere nobis. ℟. Deo gratias.

℟. Laudemus nomen ſacrum, atque inſigne Mariæ; mundo nã peperit Virgo ſalutis opem.

℣. Lætentur cæli de tali nomine, & orbis.

Mundo nam peperit Virgo ſalutis opem.

Iube Domne benedicere.

Benedictio. Vnigenitus Dei Filius nos benedicere, & adiuuare dignetur. Amen.

Lectio ii.

TVlit autem Moyſes Iſraël de mari rubro, & egreſsi ſunt in deſertum Sur: ambulaueruntque tribus diebus per ſolitudinem, & non inueniebant aquam. Et venerunt in Mara, nec poterant bibere aquas de Mara, eo quod eſſent amaræ; vnde & congruum loco nomen impoſuit, vocans illum Mara, id eſt, amaritudinem.

Tu autem Domine miſerere nobis. ℟. Deo gratias.

℟. Benedictum ſit nomen Mariæ: cuius manus tornatiles plenæ Iacynthis.

℣. Implorantibus Mariæ, nomẽ Maria præſto adeſt.

Cuius manus tornatiles plenæ Iacynthis.

**Iube Domne benedicere.**

Benedictio. Spiritus Sancti gratia illuminet ſenſus, & corda noſtra. Amen.

Lectio iij.

ET murmurauit populus contra Moyſen, dicens: Quid bibemus? At ille clamauit ad Dominum. Qui oſtendet ei lignum: quod cum miſiſſet in aquas, in dulcedinem verſæ ſunt. Ibi conſtituit ei præcepta, atque iudicia, & ibi tentauit eum, dicens: Si audieris vocem Domini Dei tui, & quod rectũ eſt coram eo feceris, & obedieris mandatis eius, cuſtodieriſque omnia præcepta illius, cunctum languorem, quem poſui in Ægypto, non inducam ſuper te: ego enim ſum Dominus ſanator tuus.

Tu autem Domine miſerere nobis. Deo gratias.

℟. Salutemus Mariam pro nobis Filium exorantem, & illi dicamus, Aue Maria gratia plena, Dominus tecum.

℣. Hæc eſt Gedeonis vellus, quæ leuiſsima orationis compreſsione larga exhibet gratiarum ſtilicidia. Et illi dicamus, Aue Maria gratia plena, Dominus tecum.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto. Et illi dicamus, Aue Maria gratia plena, Dominus tecum.

In ſecundo Nocturno.

Aña. Specioſum Mariæ nomen deprecantur omnes diuites plebis, cuius decorem concupiuit Rex.

Pſalmus 44.

ERuctauit cor meum verbum bonum: * dico ego opera mea regi.

Lingua mea calamus ſcribæ; * velociter ſcribentis.

Specioſus forma præ filijs hominum, diffuſa eſt gratia in labijs tuis: * propterea benedixit te Deus in æternum.

Accingere gladio tuo ſuper femur tuum, * potentiſsime.

Specie tua, & pulchritudine tua * intende, proſperè procede, & regna.

Propter veritatem & manſuetudinem, & iuſtitiam: * & deducet te mirabiliter dextera tua.

Sagittæ tuæ acutæ, populi ſub te cadent, * in corda inimicorũ regis.

Sedes tua Deus in ſæculum ſæculi: * virga directionis, virga regni tui.

Dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem: * propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis.

Myrrha, & gutta, & caſia à veſtimentis tuis, à domibus eburneis: * ex quibus delectauerunt te filiæ regum in honore tuo.

Aſtitit regina à dextris tuis in veſtitu deaurato: * circumdata varietate.

Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam: * & obliuiſcere po-



pulum tuum, & domum patris tui.

Et cõcupiſcit rex decorẽ tuũ: * quoniam ipſe eſt Dominus Deus tuus, & adorabunt eum.

Et filiæ Tyri in muneribus, * vultum tuum deprecabuntur, omnes diuites plebis.

Omnis gloria eius filiæ regis ab intus, * in fimbrijs aureis circũamicta varietatibus.

Adducẽtur Regi virgines poſt eam: * proximæ eius afferentur tibi.

Afferentur in lætitia & exultatione: * adducẽtur in templum Regis.

Pro patribus tuis nati ſunt tibi filij: * conſtitues eos principes ſuper omnem terram.

Memores erunt nominis tui, * in omni generatione & generationem.

Propterea populi confitebuntur tibi in æternum: * & in ſæculum ſæculi.

Gloria Patri, & Filio, * & Spiritui Sancto. Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper; * & in ſæcula ſæculorum, Amen.

Aña. Specioſum Mariæ nomen deprecabuntur omnes diuites plebis, cuius decorem concupiuit Rex.

Aña. Refugium eſt in tribulationibus Mariæ nomen, omnibus illud inuocantibus.

Pſalm. 45.

DEus noſter refugium, & virtus: * adiutor in tribulationibus, quæ inuenerunt nos nimis.

Propterea nõ timebimus, dum turbabitur terra: * & transferẽtur montes in cor maris.

Sonuerunt, & turbatæ ſunt aquæ eorum: * conturbati ſunt montes in fortitudine eius.

Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei: * ſanctificauit tabernaculum ſuum Altiſsimus.

Deus in medio eius, non commouebitur: * adiuuabit eam Deus manè diluculo.

Conturbatæ ſunt gentes, & inclinata ſunt regna: * dedit vocem ſuam & mota eſt terra.

Dominus virtutum nobiſcũ: * ſuſceptor noſter Deus Iacob.

Venite, & videte opera Domini, quæ poſuit prodigia ſuper terram: * auferens bella vſque ad finem terræ.

Arcum conteret, & confringet arma: * & ſcuta comburet igni.

Vacate, & videte, quoniã ego ſum Deus: * exaltabor in gentibus, & exaltabor in terra.

Dominus virtutum nobiſcũ: * ſuſceptor noſter Deus Iacob.

Gloria Patri, & Filio, * & Spiritui Sancto. Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, * & in ſæcula ſæculorum, Amen.

Aña. Refugium eſt in tribulationibus Mariæ nomen, omnibus illud inuocantibus.

Aña. Maria ciuitas Dei Sancta, glorioſa dicta ſunt de nomine ſancto tuo.

Pſalmus 86.

FVndamenta eius in montibus ſanctis:* diligit Dominus portas Sion ſuper omnia tabernacula Iacob.

Glorioſa dicta ſunt de te,* Ciuitas Dei.

Memor ero Rahab & Babylonis:* ſcientium me.

Ecce alienigenæ, & Tyrus, & populus Æthiopum; * hi fuerunt illic.

Numquid Sion dicet: Homo, & homo natus eſt in ea:* & ipſe fundauit eam Altiſsimus?

Dominus narrabit in ſcripturis populorum, & principum:* horum qui fuerunt in ea.

Sicut lætantium omnium:* habitatio eſt in te.

Gloria Patri, & Filio,* & Spiritui Sancto. Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, * & in ſæcula ſæculorum, Amen.

Aña. Maria ciuitas Dei, Sancta, glorioſa dicta ſunt de nomine ſancto tuo.

℣. Repleatur os meum laude Mariæ.

℟. Vt cantem gloriam nomini ſancto eius. Abſolutio.

Pater noſter, &c. Et ne nos inducas in tentationem. Sed libera nos à malo.

Ipſius pietas & miſericordia nos adiuuet, qui cum Patre & Spiritu Sancto viuit & regnat in ſæcula ſæculorum, Amen.

℣. Iube domne benedicere.

Benedictio. Deus Pater omnipotens, ſit nobis propitius, & clemens. Amen.

Lectio iiii.

*De ſermone ſancti Epiphanij Epiſcopi.*

BEata Anna grauida effecta, cœlum & thronum Cherubicum peperit ſanctam puellam Mariam: illa enim reperitur eſſe cœlum, templũ, & thronus: quia Mariam interpretari ſolemus Dominam, atque etiã ſpem. Peperit enim Dominum, qui eſt ſpes totius mundi, nempè Chriſtum. Rurſum, nomen illud, Maria, interpretatur, Myrrha maris: Myrram verò dicet aliquis (quod ego etiam aio) de immortalitate, eo quòd paritura eſſet gemmam immortalem in mari, hoc eſt in mundo. Mare autem dicet vniuerſum mũdum, cui Virgo ſerenitatem & tranquillitatem contulit, dum portum peperit Chriſtum.

Tu autem Domine miſerere nobis. ℟. Deo gratias.

℟. Benedicta tu à Domino Deo tuo in omni Tabernaculo Iacob. Quoniam in omni gente quæ audierit nomẽ tuum, magnificabitur ſuper te Deus.

℣. Tu gloria Ieruſalem, tu lætitia Iſrael, tu Maria honorificentia populi noſtri. Quoniam in omni gẽte quæ audierit nomen tuum, magnificabitur ſuper te Deus.

Iube Domne benedicere.

Benedictio. Chriſtus perpetuæ det



det nobis gaudia vitæ. Amen.

Lectio v.

RVrſum itaque præclaræ puellæ Mariç, beatum nomẽ interpretatur, illuſtrata; vtpote quæ illuſtrata ſit à Filio Dei, & cunctos vſque ad terminos terræ, credentes Trinitati illuminauerit. Sãcta enim puella Virgo Maria eſt ſponſa Trinitatis, & theſaurus diſpenſationis planè arcanus, cui Gabriel inquit: Aue gratia plena, Dominus tecum: ſubiunxit Gabriel: Et Pater miſit arrhabonem de cælo Spiritum Sanctum præparauit Virginem vnigenito Filio, cœleſti ſponſo: quam Pater dilexit Filius inhabitauit, Spiritus Sanctus percupiuit.

Tu autem Domine miſerere nobis. ℟. Deo gratias.

℟. Melius eſt bonum nomen, quàm diuitiæ multæ Turris fortiſsima Mariæ nomen.

℣. Propugnaculum eſt omnibus, qui ad illud confugiunt. Turris fortiſsima Mariç nomẽ.

Iube Domne benedicere.

Benedictio. Ignem ſui amoris accendat Deus in cordibus noſtris. Amen. Lectio vi.

IPſa eſt enim ſponſa, & thalamus, & ex ea Sponſus procedit Chriſtus virgineum indumẽtũ, iuxta ſuauem Dauidis Prophetæ cantionẽ: In Sole poſuit tabernaculum ſuum, & ipſe tãquam ſpõſus procedens de thalamo ſuo. O ſponſi deſiderium ſummæ puritatis! propriam ancillam propenſiore affectu conſtituit ſponſam, & matrem.

Tu autem Domine miſerere nobis. ℟. Deo gratias.

℟. Nomen ſanctum meum notum faciã in medio populi mei. Et ſcient quia ego Maria.

℣. Deliciæ meæ eſſe cum filijs hominum. Et ſcient, quia ego Maria. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto. Et ſcient, quia ego Maria.

In tertio Nocturno.

Aña. Nunciate inter gẽtes gloriam Mariæ in omnibus populis mirabilia nominis eius.

Pſalm. 95.

CAntate Domino cãticum nouum: * cantate Domino omnis terra.

Cantate Domino, & benedicite nomini eius:* annunciate de die in diem ſalutare eius.

Annunciate inter gentes gloriam eius:* in omnibus populis mirabilia eius.

Quoniã magnus Dominus, & laudabilis nimis:* terribilis eſt ſuper omnes Deos.

Quoniam omnes dij gentium dæmonia:* Dominus autem cęlos fecit.

Confeſsio & pulchritudo in conſpectu eius:* ſanctimonia & magnificentia in ſanctificatione eius.

Afferte Domino patriæ gentium, afferte Domino gloriam

&

& honorem: * afferte Domino gloriam nomini eius.

Tollite hoſtias, & introite in atria eius: * adorate Dominum in atrio ſancto eius.

Commoueatur à facie eius vniuerſa terra: * dicite in gẽtibus, quia Dominus regnauit.

Etenim correxit orbem terræ, qui non commouebitur: * iudicabit populos in æquitate.

Lætentur cæli, & exultet terra, commoueatur mare, & plenitudo eius: * gaudebunt campi, & omnia, quæ in eis ſunt.

Tunc exultabunt omnia ligna ſiluarum à facie Domini, quia venit: * quoniam venit iudicare terram.

Iudicabit orbem terræ in æquitate; * & populos in veritate ſua.

Gloria Patri, & Filio, * & Spiritui Sancto. Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, * & in ſæcula ſæculorum, Amen.

Aña. Nuntiate inter gẽtes gloriam Mariæ, in omnibus populis mirabilia nominis eius.

Aña. Annuntiauerunt cæli nomen Mariæ: & viderunt omnes populi gloriam eius.

Pſalm. 96.

DOminus regnauit, exultet terra: * lætentur inſulæ multæ.

Nubes & caligo in circuitu eius: * iuſtitia & iudiciũ correctio ſedis eius.

Ignis ante ipſum præcedet; * & inflammabit in circuitu inimicos eius.

Illuxerunt fulgura eius orbi terræ: * vidit, & commota eſt terra.

Montes ſicut cera fluxerunt à facie Domini; * à facie Domini omnis terra.

Annuntiauerunt cæli iuſtitiam eius: * & viderunt omnes populi gloriam eius.

Confundãtur omnes qui adorant ſculptilia: * & qui gloriantur in ſimulacris ſuis.

Adorate eum omnes Angeli eius: * audiuit, & lætata eſt Sion.

Et exultauerunt filiæ Iudæ, * propter iudicia tua Domine.

Quoniam tu Dominus altiſsimus ſuper omnem terram: * nimis exaltatus es ſuper omnes deos.

Qui diligitis Dominum, odite malum: * cuſtodit Dominus animas ſanctorum ſuorum, de manu peccatoris liberauit eos.

Lux orta eſt iuſto: * & rectis corde lætitia.

Lætamini iuſti in Domino: * & confitemini memoriæ ſanctificationis eius.

Gloria Patri, & Filio, * & Spiritui Sancto. Sicut erat in principio & nunc, & ſemper, * &c.

Aña. Annuntiauerunt cæli nomen Mariæ: & viderunt omnes populi gloriam eius.

Aña. Notum fecit Dominus ſacrum Mariæ nomen, & in conſpectu gentium reuelauit virtutem nominis eius.

Pſalm. 97.

CAntate Domino cãticum nouum: * quia mirabilia fecit.

Saluauit ſibi dextera eius; * & brachium ſanctum eius.

Notum fecit Dominus ſalutare ſuum: * in conſpectu gẽtium reuelauit iuſtitiam ſuam.

Recordatus eſt miſericordiæ ſuæ; * & veritatis ſuæ domui Iſrael.

Viderunt omnes termini terræ * ſalutare Dei noſtri.

Iubilate Deo omnis terra: * cãtate, & exultate, & pſallite.

Pſallite Domino in cithara, in cithara, & voce pſalmi: * in tubis ductilibus, & voce tubæ corneæ.

Iubilate in conſpectu regis Domini: * moueatur mare, & plenitudo eius; orbis terrarum, & qui habitant in eo.

Flumina plaudent manu, ſimul montes exultabunt à conſpectu Domini: * quoniam venit iudicare terram.

Iudicabit orbem terrarum in iuſtitia; * & populos in æquitate.

Gloria Patri, & Filio, * & Spiritui Sancto. Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, * & in ſæcula ſæculorum, Amen.

Aña. Notum fecit Dominus ſacrum Mariæ nomen, & in conſpectu gentium reuelauit virtutem nominis eius.

℣. Aue Maria gratia plena.

℟. Dominus tecum.

Pater noſter, &c.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos à malo.

Abſolutio. A vinculis peccatorum noſtrorum abſoluat nos omnipotens, & miſericors Dominus.

℟. Amen.

Iube Domne benedicere.

Benedictio. Euangelica Lectio ſit nobis ſalus, & protectio.

℟. Amen.

Lectio vij.

Lectio ſancti Euangelij ſecundùm Lucam. *Cap. 1. c*

IN illo tempore miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem deſpõſatam viro, cui nomen erat Ioſeph, de domo Dauid, & nomẽ Virginis Maria. Et reliqua.

Homilia Sancti Bernardi Abbatis.

ET nomen, inquit, Virginis Maria. Loquamur pauca, & ſuper hoc nomine, quod interpretatum, Maris Stella dicitur, & matri Virgini valde conuenienter aptatur. Ipſa nãque aptiſsimè ſideri comparatur: quia ſicut ſine ſui corruptione ſidus ſuum emittit radium, ſic abſque ſui læſione Virgo parturit filium. Nec ſideri radius ſuam minuit claritatem,

tatem, nec Virgini Filius ſuam integritatem. Ipſa eſt igitur nobilis illa Stella ex Iacob orta, cuius radius vniuerſum orbem illuminat, cuius ſplēdor, & præfulget in ſupernis, & inferos penetrat, terras etiam perluſtrans, & calefaciens magis mētes, quàm corpora: fouet virtutes, excoquit vitia. Ipſa inquam, eſt præclara & eximia Stella ſuper hoc mare magnum, & ſpatioſum neceſſario ſubleuata, micans meritis, illuſtrans exēplis.

Tu autem Domine miſerere nobis. ℟. Deo gratias.

℟. Clariſsimum Mariæ nomen: ipſa Stella eſt præfulgens: peccatores illuminat, & dirigit in portum ſalutis.

℣. Conſolatur triſtes, miſeros lauat, & iacentes erigit. Peccatores illminat & dirigit in portum ſalutis.

Iube Domne benedicere.

Benedictio. Cuius feſtum colimus ipſa virgo Virginum intercedat pro nobis ad Dominum. Amen.

Lectio viij.

O Quiſquis te intelligis in huius ſæculi profluuio magis inter procellas, & tempeſtates fluctuare, quàm per terram ambulare, ne auertas oculos à fulgore huius ſideris ſi non vis obrui procellis. Si inſurgant venti tentationum, ſi incurras ſcopulos tribulationum, reſpice Stellam, voci Mariam. Si iactaris ſuperbiæ vndis, ſi ambitionis, ſi detractionis, ſi æmulationis, reſpice Stellam, voca Mariam. Si iracundia, aut auaritia, aut carnis illecebra nauiculam concuſſerit mentis, reſpice ad Mariam. Si criminum immanitate turbatus, conſcientiæ fœditate cōfuſus, iudicij horrore perterritus, barathro incipias abſorberi triſtitiæ, deſperationis abyſſo, cogita Mariam.

Tu autem Domine miſerere nobis. ℟. Deo gratias.

℟. Omnia flumina intrant in mare, & ipſum non redundat. Omnia gratiarum chariſmata in Mariam, & ipſa non intumeſcit. ℣. Dixit illi Angelus: Aue Maria gratia plena. At ipſa reſpondit: Ecce ancilla Domini. Omnia, &c. Gloria, &c. Omnia, &c.

Iube Domne benedicere.

Benedictio. Ad ſocietatem ciuium ſupernorum, perducat nos Rex Angelorum. Amen.

Lectio ix.

IN periculis, in anguſtijs, in rebus dubijs Mariam cogita, Mariam inuoca. Non recedat ab ore, non recedat à corde: & vt impetres eius orationis ſuffragium, non deſeras conuerſationis exēplum. Ipſam ſequēs, non deuias: ipſam rogans, non deſperas: ipſam cogitans, non erras: ipſa tenente, nō corruis: ipſa



ipſa protegente, non metuis: ipſa duce, non fatigaris: ipſa propitia, peruenis: & ſic in temetipſo experiris quàm meritò dictum ſit: Et nomen Virginis Maria.

Tu autem Domine miſerere nobis. ℟. Deo gratias.

Hymnus S. Ambroſ. & Auguſt.

TE Deum laudamus: te Dominum confitemur.

Te æternum Patrem: omnis terra veneratur.

Tibi omnes Angeli, tibi cæli, & vniuerſæ poteſtates.

Tibi Cherubim, & Seraphim: inceſſabili voce proclamant.

Sanctus, Sanctus, Sanctus: Dominus Deus Sabaoth.

Pleni ſunt cæli & terra: maieſtatis gloriæ tuæ.

Te glorioſus Apoſtolorum chorus.

Te Prophetarū laudabilis numerus.

Te Martyrum cādidatus laudat exercitus.

Te per orbem terrarum, ſancta confitetur Eccleſia.

Patrem immenſæ maieſtatis.

Venerandum tuum verum, & vnicum Filium.

Sanctum quoque paracletum Spiritum.

Tu rex gloriæ Chriſte.

Tu Patris ſempiternus es Filius.

Tu ad liberandum ſuſcepturus hominem: non horruiſti Virginis vterum.

Tu deuicto mortis aculeo: aperuiſti credentibus regna cælorum.

Tu ad dexteram Dei ſedes: in gloria Patris.

Iudex crederis eſſe venturus.

Te ergo quæſumus, tuis famulis ſubueni: quos pretioſo ſanguine redemiſti.

Æterna fac cum ſanctis tuis: in gloria munerari.

Saluū fac populū tuū Domine: & benedic hereditati tuæ.

Et rege eos: & extolle illos vſque in æternum.

Per ſingulos dies: benedicimus te.

Et laudamus nomen tuum in ſæculum: & in ſæculum ſæculi.

Dignare Domine die iſto: ſine peccato nos cuſtodire.

Miſerere noſtri Domine: miſerere noſtri.

Fiat miſericordia tua Domine ſuper nos: quemadmodum ſperauimus in te.

In te Domine ſperaui: non cōfundar in æternum.

Ad Laudes Aña.

℣. DEus in adiutorium meum intende.

℟. Domine ad adiuuādum me feſtina.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto. Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. Amen. Allel.

Aña. Mirabiles, elationes maris, ſed mirabilior in nomine Mariæ Dominus.

Pſalmus 92.

DOminus regnauit, decorem indutus eſt: * indutus eſt Dominus fortitudinem, & præcinxit ſe.

Etenim firmauit orbẽ terræ;* qui non commouebitur.

Parata ſedes tua ex tunc:* à ſæculo tu es.

Eleuauerũt flumina Domine:* eleuauerũt flumina vocem ſuã.

Eleuauerunt flumina fluctus ſuos;* à vocibus aquarum multarum.

Mirabiles elationes maris; * mirabilis in altis Dominus.

Teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis: * domum tuam decet ſanctitudo Domine, in longitudinem dierum.

Gloria Patri, &c.

Aña Mirabiles elationes maris, ſed mirabilior in nomine Mariæ Dominus.

Aña. Laudate in exultatione Mariæ nomen, quoniam ſuaue eſt.

Pſalm. 99.

IVbilate Deo omnis terra: * ſeruite Domino in lætitia.

Introite in conſpectu eius; * in exultatione.

Scitote quoniam Dominus ipſe eſt Deus: * ipſe fecit nos, & non ipſi nos.

Populus eius, & oues paſcuæ eius: * introite portas eius in confeſsione, atria eius in hymnis, confitemini illi.

Laudate nomen eius: quoniam ſuauis eſt Dominus, in æternum miſericordia eius; * & vſque in generationem, & generationẽ veritas eius.

Gloria Patri, &c.

Aña. Laudate in exultatione Mariæ nomen, quoniam ſuaue eſt.

Aña. Labia mea laudabunt te, ò Maria, quia dulce eſt nomen tuum ſuper mel ori meo.

Pſalm. 62.

DEus Deus meus, * ad te de luce vigilo.

Sitiuit in te anima mea;* quã multipliciter tibi caro mea.

In terra deſerta, & inuia, & inaquoſa: * ſic in ſancto apparui tibi, vt viderem virtutem tuam, & gloriam tuam.

Quoniam melior eſt miſericordia tua ſuper vitas: * labia mea laudabunt te.

Sic benedicam te in vita mea:* & in nomine tuo leuabo manus meas.

Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea: * & labijs exultationis laudabit os meum.

Si memor fui tui ſuper ſtratum meum, in matutinis meditabor in te: * quia fuiſti adiutor meus.

Et in velamento alarum tuarum exultabo, adhæſit anima mea poſt te:* me ſuſcepit dextera tua.

Ipſi verò in vanum quæſierunt animam meam, introibunt in

in-



inferiora terræ: * tradentur in manus gladij, partes vulpium erunt.

Rex verò lætabitur in Deo, laudabuntur omnes qui iurant in eo:* quia obſtructum eſt os loquentium iniqua.

Pſalm. 66.

DEus miſereatur noſtri, & benedicat nobis: * illuminet vultum ſuum ſuper nos, & miſereatur noſtri.

Vt cognoſcamus in terra viam tuam; * in omnibus gentibus ſalutare tuum.

Confiteãtur tibi populi Deus:* confiteantur tibi populi omnes.

Lætentur & exultent gentes: * quoniam iudicas populos in æquitate, & gentes in terra dirigis.

Confiteantur tibi populi Deus, cõfiteantur tibi populi omnes:* terra dedit fructum ſuum.

Benedicat nos Deus, Deus noſter, benedicat nos Deus: * & metuant eum omnes fines terræ.

Gloria Patri, &c.

Aña. Labia mea laudabunt te, ò Maria, quia dulce eſt nomen tuum ſuper mel ori meo.

Aña. Spiritus, & animæ iuſtorũ benedicant Mariam in nomine ſancto eius.

Canticum trium puerorum.

BEnedicite omnia opera Domini Domino: * laudate & ſuperexaltate eum in ſæcula.

Benedicite Angeli Domini Domino: * benedicite cæli Domino.

Benedicite aquæ omnes, quæ ſuper cælos ſunt, Domino:* benedicite omnes virtutes Domini Domino.

Benedicite ſol & luna Domino:* benedicite ſtellæ cæli Domino.

Benedicite omnis imber, & ros Domino: * benedicite omnes ſpiritus Dei Domino.

Benedicite ignis & æſtus Domino: * benedicite frigus & æſtus Domino.

Benedicite rores & pruina Domino: * benedicite gelu & frigus Domino.

Benedicite glacies & niues Domino: * benedicite noctes & dies Domino.

Benedicite lux & tenebræ Domino: * benedicite fulgura & nubes Domino.

Benedicat terra Dominum: * laudet & ſuperexaltet eum in ſæcula.

Benedicite montes, & colles Domino: * benedicite vniuerſa germinantia in terra Domino.

Benedicite fontes Domino: * benedicite maria & flumina Domino.

Benedicite cete, & omnia quæ mouentur in aquis, Domino: * benedicite omnes volucres cæli Domino.

Benedicite omnes beſtiæ & pecora

cora Domino: * benedicite filij hominum Domino.
Benedicat Iſrael Dominum: * laudet & ſuperexaltet eum in ſæcula.
Benedicite ſacerdotes Domini Domino: * benedicite ſerui Domini Domino.
Benedicite ſpiritus & animæ iuſtorum Domino: * benedicite ſancti & humiles corde Domino.
Benedicite Anania, Azaria, Miſael, Domino; * laudate & ſuperexaltate eum in ſæcula.
Benedicamus Patrem & Filium cum ſancto ſpiritu: * laudemus & ſuperexaltemus eum in ſæcula.
Benedictus es Domine in firmamento cæli: * & laudabilis, & glorioſus, & ſuperexaltatus in ſæcula.
Aña. Spiritus, & animæ iuſtorum, benedicant Mariam in nomine ſancto eius.
Aña. Beneplacitum eſt Domino in nomine Mariæ, in quo exaltauit manſuetos in ſalutē.

Pſalmus 148.

Laudate Dominum de cælis: * laudate eum in excelſis.
Laudate eum omnes Angeli eius: * laudate eum omnes virtutes eius.
Laudate eum ſol & luna: * laudate eū omnes Stellæ & lumen.
Laudate eum cæli cælorū: * & aquæ omnes quæ ſuper cælos ſunt, laudent nomen Domini.
Quia ipſe dixit, & facta ſunt: * ipſe mandauit, & creata ſunt.
Statuit ea in æternum, & in ſæculum ſæculi: * præceptum poſuit, & non præteribit.
Laudate Dominum de terra: dracones, & omnes abyſsi.
Ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus procellarum: * quæ faciūt verbum eius.
Montes & omnes colles: * ligna fructifera, & omnes cedri.
Beſtiæ, & vniuerſa pecora: * ſerpentes, & volucres pennatæ.
Reges terræ, & omnes populi: * Principes, & omnes iudices terræ.
Iuuenes, & virgines, ſenes cum iunioribus, laudent nomē Domini; * quia exaltatum eſt nomen eius ſolius.
Confeſsio eius ſuper cælum & terram: * & exaltauit cornu populi ſui.
Hymnus omnibus ſanctis eius: * filijs Iſrael, populo appropinquanti ſibi.

Pſalmus 149.

Cantate Domino canticū nouum: * laus eius in Eccleſia ſanctorum.
Lætetur Iſrael in eo, qui fecit eum: * & filij Sion exultent in rege ſuo.
Laudent nomen eius in choro: * in tympano & pſalterio pſallant ei.
Quia beneplacitum eſt Domino in populo ſuo: * & exaltauit manſuetos in ſalutem.
Exultabunt ſancti in gloria: * lætabuntur in cubilibus ſuis.
Exaltationes Dei in gutture eorū, * & gladij ancipites in manibus eorum.
Ad faciēdam vindictam in nationibus: * increpationes in populis.
Ad alligandos reges eorum in compedibus: * & nobiles eorum in manicis ferreis.
Vt faciant in eis iudicium cōſcriptum: * gloria hæc eſt omnibus ſanctis eius.

Pſalm. 150.

Laudate Dominum in ſanctis eius: * laudate eum in firmamento virtutis eius.
Laudate eū in virtutibus eius: * laudate eum ſecūdum multitudinem magnitudinis eius.
Laudate eum in ſono tubæ: * laudate eum in pſalterio, & cithara.
Laudate eum in tympano & choro: * laudate eum in chordis & organo
Laudate eū in cymbalis beneſonātibus, laudate eum in cymbalis iubilationis: * omnis ſpiritus laudet Dominum.
Gloria Patri, &c.
Aña. Beneplacitum eſt Domino in nomine Mariæ, in quo exaltauit māſuetos in ſalutem.

Capitulum. *Iud. cap. 13. c*

Benedicta es tu filia à Domino Deo excelſo præ omnibus mulieribus ſuper terram, quia hodie nomen tuum ita magnificauit, vt nō recedat laus tua de ore hominum, qui memores fuerint virtutis Domini in æternum. ℟. Deo gratias.

Hymnus.

O Glorioſa Virginum
Sublimis inter ſidera;
Qui te creauit paruulum,
Lactente nutris vbere.
Quod Heua triſtis abſtulit,
Tu reddis almo germine:
Intrent vt aſtra flebiles,
Cæli recludis cardines.
Tu Regis alti ianua,
Et aula lucis fulgida:
Vitam datam per Virginem
Gentes redemptæ plaudite.
Ieſu tibi ſit gloria
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre & almo Spiritu,
In ſempiterna ſæcula. Amē.

℣. Lætabor, & exultabo in te, Maria. ℟. Pſalmum dicam nomini tuo.

Ad Benedictus, Aña.

Benedictus Deus, qui Mariæ Virgini lucis nomen donauit, vt illuminaret eos, qui in tenebris ſedent: & vt ſtella maris errantes dirigeret in portum pacis.

Canticum Zachariæ.

Benedictus Dominus Deus Iſrael, * quia viſitauit, & fecit redemptionem plebis ſuæ.
Et erexit cornu ſalutis nobis, * in domo Dauid pueri ſui.

Sicut locutus eſt per os ſancto-
rum; * qui à ſæculo ſunt Pro-
phetarum eius.
Salutem ex inimicis noſtris; *
& de manu omnium, qui ode-
runt nos.
Ad faciendam miſericordiam
cum patribus noſtris: * & me-
morari teſtamenti ſui ſancti.
Iuſiurandum quod iurauit ad
Abraham patrem noſtrum; *
daturum ſe nobis.
Vt ſine timore de manu inimi-
corum noſtrorũ liberati; * ſer-
uiamus illi.
In ſanctitate & iuſtitia coram
ipſo; * omnibus diebus noſtris.
Et tu puer, propheta Altiſsimi
vocaberis: * præibis enim ante
faciẽ Domini, parare vias eius.
Ad dandam ſcientiam ſalutis
plebi eius: * in remiſsionẽ pec-
catorum eorum.
Per viſcera miſericordiæ Dei
noſtri: * in quibus viſitauit nos
oriens ex alto.
Illuminare his qui in tenebris
& in vmbra mortis ſedent: * ad
dirigendos pedes noſtros in
viam pacis.
Gloria Patri, &c.
Ant. Benedictus Deus, qui Ma-
riæ Virgini lucis nomen dona-
uit, vt illuminaret eos, qui in
tenebris ſedent: & vt ſtella ma-
ris errantes dirigeret in portum
pacis.

Oremus.

Deus qui glorioſam matrẽ
tuam nominari Mariam
voluiſti: concede propitius, vt
qui dulce eiuſdem Mariæ no-
men implorãt, perpetuum ſen-
tiant tuæ benedictionis effe-
ctum, Qui viuis & regnas, &c.
℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et
cum ſpiritu tuo. ℣. Benedica-
mus Domino. ℟. Deo gratias.
Fidelium Animæ per miſericor
diam Dei, requieſcant in pace.
Amen.

## Ad Primam.

Pater. Aue. Credo.
Deus in adiutorium meũ
intende.
Domine ad adiuuandum me
feſtina.
Gloria Patri, &c.

Hymnus.

Iam lucis orto ſidere
Deum precemur ſupplices,
Vt in diurnis actibus,
Nos ſeruet à nocentibus.
Linguam refrænans temperet,
Ne litis horror inſonet:
Viſum fouendo contegat,
Ne vanitates hauriat.
Sint pura cordis intima,
Abſiſtat & vecordia:
Carnis terat ſuperbiam
Potus cibique parcitas:
Vt cum dies abſceſſerit,
Noctemque ſors reduxerit;
Mundi per abſtinentiam
Ipſi canamus gloriam.
Ieſu tibi ſit gloria
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre & almo Spiritu
In ſempiterna ſæcula. Amen.
An-



Antiphona.
Mirabiles elationes.

Pſalmus.

Deus in nomine tuo ſaluũ
me fac: * & in virtute tua
iudica me.
Deus exaudi orationem meã: *
auribus percipe verba oris
mei.
Quoniam alieni inſurrexerunt
aduerſum me, & fortes quæſie-
runt animam meam: * & non
propoſuerunt Deum ante conſ-
pectum ſuum.
Ecce enim Deus adiuuat me: *
& Dominus ſuſceptor eſt ani-
mæ meæ.
Auerte mala inimicis meis: *
& in veritate tua diſperde illos.
Voluntariè ſacrificabo tibi, *
& confitebor nomini tuo Do-
mine, quoniam bonum eſt.
Quoniam ex omni tribulatione
eripuiſti me: * & ſuper inimi-
cos meos deſpixit oculus meus.
Gloria Patri, &c.

Pſalmus 118.

Beati immaculati in via: *
qui ambulant in lege Do-
mini.
Beati qui ſcrutantur teſtimo-
nia eius: * in toto corde exqui-
runt eum.
Non enim qui operantur ini-
quitatem: * in vijs eius ambu-
lauerunt.
Tu mandaſti: * mandata tua
cuſtodiri nimis.
Vtinã dirigãtur viæ meæ, * ad
cuſtodiẽdas iuſtificationes tuas.
Tunc non cõfundar, * cũ perſ-
pexero in omnibus mandatis
tuis.
Confitebor tibi in directione
cordis: * in eo quod didici iudi-
cia iuſtitiæ tuæ.
Iuſtificationes tuas cuſtodiam: *
non me derelinquas vſque-
quaque.
In quo corrigit adoleſcentior
viam ſuam? * in cuſtodiendo
ſermones tuos.
In toto corde meo exquiſiui
te: * ne repellas me à mandatis
tuis.
In corde meo abſcondi eloquia
tua: * vt non peccem tibi.
Benedictus es Domine: * doce
me iuſtificationes tuas.
In labijs meis, * pronuntiaui
omnia iudicia oris tui.
In via teſtimoniorum tuorum
delectatus ſum, * ſicut in om-
nibus diuitijs.
In mandatis tuis exercebor: *
& conſiderabo vias tuas.
In iuſtificationibus tuis medi-
tabor: * non obliuiſcar ſermo-
nes tuos.
Gloria Patri, &c.
Retribue ſeruo tuo, viuifi-
ca me: * & cuſtodiã ſer-
mones tuos.
Reuela oculos meos: * & con-
ſiderabo mirabilia de lege tua.
Incola ego ſum in terra: * non
abſcondas à me mandata tua.
Concupiuit anima mea deſide-
rare iuſtificationes tuas, * in om
ni tempore.
In-

Increpaſti ſuperbos: * maledicti qui declinant à mãdatis tuis.
Aufer à me opprobrium, & cõtemptum: * quia teſtimonia tua exquiſiui.
Etenim ſederunt Principes, & aduerſum me loquebantur: * ſeruus autem tuus exercebatur in iuſtificationibus tuis.
Nam & teſtimonia tua meditatio mea eſt: * & conſilium meũ iuſtificationes tuæ.
Adhæſit pauimẽto anima mea: * viuifica me ſecũdum verbum tuum.
Vias meas enuntiaui, & exaudiſti me: * doce me iuſtificationes tuas.
Viam iuſtificationum tuarum inſtrue me: * & exercebor in mirabilibus tuis.
Dormitauit anima mea præ tedio: * cõfirma me in verbis tuis
Viam iniquitatis amoue à me: * & lege tua miſerere mei.
Viam veritatis elegi: * iudicia tua non ſum oblitus.
Adhæſi teſtimoniis tuis Domine: * noli me confundere.
Viam mandatorum tuorũ cucurri, * cum dilataſti cor meũ.
Gloria Patri, &c.
Aña. Mirabiles elationes Maris: ſed mirabilior in nomine Mariæ Dominus.

Lectio breuis.

Regi ſæculorum immortali & inuiſibili, ſoli Deo honor & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen. ℞. Deo gratias.

℞. breue Chriſte Filij Dei viui, miſerere nobis. Chriſte Filij Dei viui, miſerere nobis. ℣. Qui natus es de Maria Virgine.
℞. Miſerere nobis.
Gloria Patri, &c.
Chriſti Filij Dei, miſerere nobis. ℣. Exurge Chriſte adiuua nos, ℞. Et libera nos propter nomen tuum. Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon.
Pater noſter, &c.
℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℞. Sed libera nos à malo.
Credo in Deum, &c.
℣. Carnis reſurrectionem.
℞. Vitam æternam, Amen.
℣. Et ego ad te Domine clamaui.
℞. Et mane oratio mea præueniet te.
℣. Repleatur, os meum laude.
℞. Vt cantem gloriam tuã, tota die magnitudinem tuam.
℣. Domine auerte faciem tuam à peccatis meis.
℞. Et omnes iniquitates meas dele.
℣. Cor mundum crea in me Deus.
℞. Et ſpiritum rectum innoua in viſceribus meis.
℣. Ne proijcias me à facie tua.
℞. Et Spiritum Sanctum tuum ne auferas à me.
℣. Redde mihi lætitiam ſalutaris tui.
℞. Et ſpiritu principali confirma me.



℣. Adiutorium noſtrum in nomine Domini. ℞. Qui fecit cælum & terram.

Confiteor Deo omnipotenti, Beatæ Mariæ ſemper Virgini, beato Michaeli Archangelo, beato Ioanni Baptiſtæ, ſanctis Apoſtolis Petro & Paulo, omnibus ſanctis, & vobis fratres: quia peccaui nimis cogitatione, verbo, & opere: mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa. Ideò precor beatam Mariam ſemper Virginẽ, beatum Michaelem Archangelũ, beatum Ioannem Baptiſtam, ſanctos Apoſtolos Petrum & Paulum, & omnes Sanctos, & vos Fratres orare pro me ad Dominum Deum noſtrum.

Miſereatur veſtri omnipotens Deus, & dimiſsis peccatis veſtris, perducat te ad vitam æternam. Amen.

Indulgentiam, abſolutionẽ, & remiſsionem peccatorum noſtrorũ tribuat nobis omnipotens & miſericors Dñs. Amen.
℣. Dignare Domine die iſto.
℞. Sine peccato nos cuſtodire.
℣. Miſerere noſtri Domine.
℞. Miſerere noſtri.
℣. Fiat miſericordia tua ſuper nos. ℞. Quemadmodum ſperauimus in te.
℣. Domine exaudi orationem meam. ℞. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum.
℞. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Domine Deus omnipotẽs, qui ad principium huius diei nos peruenire feciſti: tua nos hodie ſalua virtute, vt in hac die ad nullum declinemus peccatum, ſed ſemper ad tuam iuſtitiam faciendam noſtra procedant eloquia, dirigantur cogitationes & opera. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus ſancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. ℞. Amen. ℣. Dominus vobiſcum. ℞. Et cum ſpiritu tuo. ℣. Benedicamus Domino. ℞. Deo gratias. ℣. Pretioſa in conſpectu Domini.
℞. Mors Sanctorum eius.
Sancta Maria, & omnes Sãcti intercedãt pro nobis ad Dominũ; vt nos mereamur ab eo adiuuari & ſaluari, qui viuit & regnat in ſæcula ſæculorum.
℞. Amen.
℣. Deus in adiutorium meum intende.
℞. Domine ad adiuuandũ me feſtina. ℣. Deus in adiutorium meum intende.
℞. Domine ad adiuuãdum me feſtina.
℣. Deus in adiutorium meum intende.
℞. Domine ad adiuuãdum me feſtinà.
℣. Gloria Patri & Filio, & Spiritui ſancto.
℞. Sicut erat in principio, & nũc

& ſemper & in ſæcula ſæculorum. Amen.
Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon.
Pater noſter, &c. *Secretò.*
℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos à malo.
℣. Reſpice in ſeruos tuos Domine.
Et in opera tua, & dirige filios eorum.
℣. Et ſit ſplendor Domini Dei noſtri ſuper nos, & opera manuum tuarum dirige ſuper nos: & opus manuum noſtrarum dirige.
℣. Gloria Patri, &c.

*Oremus.*

Dirigere & ſanctificare, regere & gubernare dignare, Domine Deus Rex cæli & terræ, hodie corda, & corpora noſtra, ſenſus, ſermones, & actus noſtros in lege tua, & in operibus mandatorum tuorum: vt hic, & in æternum, te auxiliante, ſalui & liberi eſſe mereamur, Saluator mundi: Qui viuis & regnas in ſæcula ſæculorum.
℟. Amen.
℣. Iube domne benedicere.
Benedictio. Dies & actus noſtros in ſua pace diſponat Dominus omnipotens. ℟. Amen.

*Capitulum.* *Ezech. c. 16. b*

Egreſſum eſt nomen tuum in Gentes propter ſpeciem tuam, quia perfecta eras in decore meo, quem poſueram ſuper te, dicit Dominus Deus.
Tu autem Domine miſerere nobis. ℟. Deo gratias.
℣. Adiutorium noſtrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit cælum & terram.
℣. Benedicite. ℟. Deus.
Dominus nos benedicat, & ab omni malo defendat, & ad vitam perducat æternam; & fidelium animæ per miſericordiam Dei reſquieſcant in pace. Amē.

*Ad Tertiam.*

Pater noſter. Aue Maria.
℣. Deus in adiutorium meum intende.
℟. Domine ad adiuuādum me feſtina.
℣. Gloria Patri, & Filio, * & Spiritui Sancto. ℟. Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, * & in ſæcula ſæculorum. Amen. Alleluia.

*Hymnus.*

Nunc Sācte nobis Spiritus,
Vnum Patri cum Filio,
Dignare promptus ingeri
Noſtro refuſus pectori.
Os, lingua, mens, ſenſus, vigor,
Confeſſionem perſonent,
Flammeſcat igne charitas,
Accendat ardor proximos.
Ieſu tibi ſit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum patre, & almo Spiritu,
In ſempiterna ſæcula, Amē.

Aña. Laudate in exultatione.

*Pſalm. 118.*

Legem pone mihi Domine viam iuſtificationum tuarum: * & exquirā eam ſemper.

Da



Da mihi intellectum, & ſcrutabor legem tuam: * & cuſtodiam illam in toto corde meo.
Deduc me in ſemitam mandatorum tuorum: * quia ipſam volui.
Inclina cor meum in teſtimonia tua, * & non in auaritiam.
Auerte oculos meos ne videant vanitatem: * in via tua viuifica me.
Statue ſeruo tuo eloquium tuum, * in timore tuo.
Amputa opprobrium meum, quod ſuſpicatus ſum: * quia iudicia tua iucunda.
Ecce concupiui mandata tua: * in æquitate tua viuifica me.
Et veniat ſuper me miſericordia tua Domine: * ſalutare tuū ſecundùm eloquium tuum.
Et reſpondebo exprobrātibus mihi verbum: * quia ſperaui in ſermonibus tuis.
Et ne auferas de ore meo verbum veritatis vſquequaque: * quia in iudicijs tuis ſuperſperaui.
Et cuſtodiam legē tuam ſemper, * in ſæculum, & in ſæculum ſæculi.
Et ambulabam in latitudine: * quia mandata tua exquiſiui.
Et loquebar de teſtimonijs tuis in conſpectu regum: * & non confundebar.
Et meditabar in mandatis tuis: * quæ dilexi.
Et leuaui manus meas ad mandata tua quæ dilexi: * & exercebar in iuſtificationibus tuis.
Gloria Patri, &c.

*Pſalmus.*

Memor eſto verbi tui ſeruo tuo, * in quo mihi ſpem dediſti.
Hæc me conſolata eſt in humilitate mea: * quia eloquium tuum viuificauit me.
Superbi iniquè agebant vſquequaque: * à lege autem tua non declinaui.
Memor fui iudiciorum tuorū à ſæculo domine: * & conſolatus ſum.
Defectio tenuit me, * pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam.
Cantabiles mihi erant iuſtificationes tuæ, * in loco peregrinationis meæ.
Memor fui nocte nominis tui Domine: * & cuſtodiui legem tuam.
Hæc facta eſt mihi: * quia iuſtificationes tuas exquiſiui.
Portio mea Domine, * dixi cuſtodire legem tuam.
Deprecatus ſum faciem tuam in toto corde meo: * miſerere mei ſecūdum eloquium tuum.
Cogitaui vias meas: * & conuerti pedes meos in teſtimonia tua.
Paratus ſum, & non ſum turbatus: * vt cuſtodiam mandata tua.
Funes peccatorum circumplexi ſunt me: * & legem tuam nō ſum oblitus.

[M]edia nocte ſurgebā ad confitendum tibi,* ſuper iudicia iuſtificationis tuæ.

[P]articeps ego ſum omnium timentium te,* & cuſtodientium mandata tua.

[M]iſericordia tua Domine plena eſt terra : * iuſtificationes tuas doce me.

[G]loria Patri, &c.

Pſalmus

BOnitatem feciſti cum ſeruo tuo Domine, * ſecundum verbum tuum.

[B]onitatem, & diſciplinam, & ſcientiam doce me:* quia mandatis tuis credidi.

[P]riuſquam humiliarer ego deliqui:* propterea eloquium tuū cuſtodiui.

Bonus es tu:* & in bonitate tua doce me iuſtificationes tuas.

Multiplicata eſt ſuper me iniquitas ſuperborum:* ego autē in toto corde meo ſcrutabor mandata tua.

Coagulatum eſt ſicut lac cor eorum.* ego verò legem tuam meditatus ſum.

Bonum mihi quia humiliaſti me : * vt diſcam iuſtificationes tuas.

Bonum mihi lex oris tui: * ſuper millia auri & argenti.

[M]anus tuæ fecerūt me, & plaſmauerunt me:* da mihi intellectum & diſcam mandata tua.

Qui timent te videbunt me, & lætabuntur : * quia in verba tua ſuperſperaui.

Cognoui Domine quia æquitas iudicia tua, * & in veritate tua humiliaſti me.

Fiat miſericordia tua vt cōſoletur me,* ſecūdum eloquium tuum ſeruo tuo.

Veniāt mihi miſerationes tuæ, & viuam:* quia lex tua meditatio mea eſt.

Confundantur ſuperbi, quia iniuſtè iniquitatem fecerunt in me : * ego autem exercebor in mandatis tuis.

Conuertantur mihi timentes te,* & qui nouerunt teſtimonia tua.

[F]iat cor meum immaculatum in iuſtificationibus tuis,* vt nō confundar.

Gloria Patri, &c.

Aña. Laudate in exultatione Mariæ nomen, quoniam ſuaue eſt.

Capitulum *Iud. cap. 13. c*

BEnedicta es tu filia à Domino Deo excelſo præ omnibus mulieribus ſuper terrā, quia hodie nomen tuum ita magnificauit, vt non recedat laus tua de ore hominum, qui memores fuerint virtutis Domini in æternum. ℟. Deo gratias.

℟. breu. Magnificate,* Mariā Virginem mecum.

Magnificate, &c.

℣. Et extollamus nomen eius in æternum. Mariam Virginem mecum. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.

Mag-



Magnificate Mariam Virginem mecum.

℣. Repleatur os meum laude Mariæ.

℟. Vt cantem gloriam nomini ſancto eius.

℣. Dominus vobiſcum.

℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

DEus, qui glorioſam Matrem tuam nominari Mariam voluiſti: concede, quæſumus, vt qui dulce Mariæ nomen implorant, perpetuum ſentiant tuæ benedictionis effectū. Qui viuis & regnas cum Deo Patre.

Ad ſextam.

Pater noſter. Aue Maria.

DEus in adiutorium meū intende. ℟. Domine ad adiuuandum me feſtina.

Gloria Patri, &c Alleluia.

Hymnus.

REctor potēs, verax Deus,
Qui tēperas rerum vices,
Splendore mane illuminas,
Et ignibus meridiem:
Extingue flammas litium,
Aufer calorem noxium,
Confer ſalutem corporum,
Veramque pacem cordium.
Ieſu tibi ſit gloria
Qui natus es de Virgine
Cum Patre, & almo Spiritu,
In ſempiterna ſæcula. Amen.

Aña. Labia mea.

Pſalmus.

DEfecit in ſalutare tuum anima mea : * in verbum tuum ſuperſperaui.

Defecerunt oculi mei in eloquium tuum,* dicentes, Quando conſolaberis me?

Quia factus ſum ſicut vter in pruina : * iuſtificationes tuas nō ſum oblitus.

Quot ſunt dies ſerui tui:* quādo facies de perſequētibus me iudicium?

Narrauerunt mihi iniqui fabulationes:* ſed non vt lex tua.

Omnia mandata tua veritas : * iniquè perſecuti ſunt me adiuua me.

Paulò minus conſummauerunt me in terra:* ego autē non dereliqui mandata tua.

Secundum miſericordiam tuā viuifica me : * & cuſtodiā teſtimonia oris tui.

In æternum Domine,* verbum tuum permanet in cælo.

In generatione & generationē veritas tua : * fundaſti terram, & permanet.

Ordinatione tua perſeuerat dies:* quoniam omnia ſeruiunt tibi.

Niſi quòd lex tua meditatio mea eſt : * tunc fortè periiſſem in humilitate mea.

In æternum non obliuiſcar iuſtificationes tuas : * quia in ipſis viuificaſti me.

Tuus ſum ego, ſaluum me fac: * quoniam iuſtificationes tuas exquiſiui.

Me expectauerunt peccatores vt perderent me :* teſtimonia tua intellexi.

Om-

Omnis conſummationis vidi finem:* latum mandatum tuũ nimis.
Gloria Patri, &c.

Pſalmus.

QVomodo dilexi legem tuã Domine?* tota die meditatio mea eſt.
Super inimicos meos prudentem me feciſti mandato tuo:* quia in æternum mihi eſt.
Super omnes docentes me intellexi:* quia teſtimonia tua meditatio mea eſt.
Super ſenes intellexi:* quia mandata tua quæſiui.
Ab omni via mala prohibui pedes meos: *vt cuſtodiam verba tua.
A iudicijs tuis non declinaui:* quia tu legem poſuiſti mihi.
Quàm dulcia faucibus meis elo quia tua,* ſuper mel ori meo.
A mãdatis tuis intellexi: *propterea odiui omnem viam iniquitatis.
Lucerna pedibus meis verbum tuum,* & lumen ſemitis meis.
Iuraui,& ſtatui,* cuſtodire iudicia iuſtitiæ tuæ.
Humiliatus ſum vſquequaque Domine:* viuifica me ſecundùm verbum tuum.
Voluntaria oris mei beneplacita fac Domine:* & iudicia tua doce me.
Anima mea in manibus meis ſemper,* & legem tuam non ſum oblitus.
Poſuerunt peccatores laqueum mihi:* & mandatis tuis non erraui.
Hereditate acquiſiui teſtimonia tua in æternum:* quia exaltatio cordis mei ſunt.
Inclinaui cor meum ad faciendas iuſtificationes tuas in æternum, *propter retributionem.
Gloria Patri,& Filio, &c.

Pſalm.

INiquos odio habui:*& legem tuam dilexi.
Adiutor & ſuſceptor meus es tu:* & in verbum tuum ſuperſperaui.
Declinate à me maligni:* & ſcrutabor mandata Dei mei.
Suſcipe me ſecundùm eloquiũ tuum,& viuam;* & non confundas me ab expectatione mea
Adiuua me,& ſaluus ero: *& meditabor in iuſtificationibus tuis ſemper.
Spreuiſti omnes diſcedentes à iudicijs tuis:* quia iniuſta cogitatio eorum.
Præuaricantes reputaui omnes peccatores terræ. *ideò dilexiſti teſtimonia tua.
Confige timore tuo carnes meas:* à iudicijs enim tuis timui.
Feci iudicium & iuſtitiam:* non tradas me calũniãtibus me.
Suſcipe ſeruum tuum in bonũ:* non calũnientur me ſuperbi.
Oculi mei defecerunt in ſalutare tuum:* & in eloquium iuſtitiæ tuæ.
Fac cum ſeruo tuo ſecundum miſericordiam tuam:* & iuſtificationes tuas doce me.
Seruus tuus ſum ego:* da mihi intellectum, vt ſciam teſtimonia tua.
Tempus faciendi Domine:* diſſipauerunt legem tuam.
Ideò dilexi mandata tua,* ſuper aurum & topazion.
Propterea ad omnia mandata tua dirigebar:* omnem viam iniquam odio habui.
Gloria Patri,& Filio, &c.
Aña. Labia mea laudabunt te, ò Maria, quia dulce eſt nomen tuum ſuper mel ori meo.

Capitulum. *Iud cap. 13. d*

BEnedicta tu à Deo tuo in omni tabernaculo Iacob: quoniam in omni gente, quæ audierit nomen tuum, magnificabitur ſuper te Deus Iſrael. Deo gratias. ℟. breu. Repleatur os meum laude Mariæ. ℟. Repleatur os meum laude Mariæ. ℣. Vt cantem gloriam nomini ſancto eius. ℟. Laude Mariæ. ℣. Gloria Patri,& Filio,& Spiritui ſancto. ℟. Repleatur os meum laude Mariæ. ℣. Aue Maria gratia plena. ℟. Dominus tecum. ℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oratio.

DEus, qui glorioſam matrem tuã nominari Mariam voluiſti: concede quæſumus, vt qui dulce eiuſdem Mariæ nomen implorant, perpetuum ſentiant tuæ benedictionis effectum. Qui viuis, & regnas, &c.

Ad Nonam.

Pater noſter. Aue Maria.
DEus in adiutorium meũ intende.
Domine ad adiuuandum me feſtina.
Gloria Patri,& Filio, *& Spiritui Sancto, &c. Sicut, &c. Alleluia.

Hymnus.

REum Deus tenax vigor,
Immotus in te permanẽs,
Lucis diurnæ tempora
Succeſsibus determinans:
Largire lumen veſpere,
Quo vita nuſquam decidat,
Sed præmium mortis ſacræ
Perennis inſtet gloria.
Ieſu tibi ſit gloria
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre & almo Spiritu,
In ſempiterna ſæcula. Amen.

Aña. Beneplacitũ eſt Domino.

Pſalmus.

MIrabilia teſtimonia tua:* ideò ſcrutata eſt ea anima mea.
Declaratio ſermonum tuorum illuminat:* & intellectum dat paruulis.
Os meum aperui,& attraxi ſpiritum: * quia mandata tua deſiderabam.
Aſpice in me,& miſerere mei,* ſecundum iudicium diligentium nomen tuum.
Greſſus meos dirige ſecundum eloquium tuum:* & non domi-

minetur mei omnis iniuſtitia.
Redime me à calumnijs hominum:* vt cuſtodiam mandata tua.
Faciem tuam illumina ſuper ſeruum tuum. * doce me iuſtificationes tuas.
Exitus aquarum deduxerunt oculi mei:* quia non cuſtodierunt legem tuam.
Iuſtus es Domine;* & rectum iudicium tuum.
Mandaſti iuſtitiam teſtimonia tua:* & veritatem tuam nimis.
Tabeſcere me fecit zelus meus: * quia obliti ſunt verba tua inimici mei.
Ignitum eloquium tuum vehementer:* & ſeruus tuus dilexit illud.
Adoleſcentulus ſum ego, & contemptus : * iuſtificationes tuas non ſum oblitus.
Iuſtitia tua iuſtitia in æternum: * & lex tua veritas.
Tribulatio & anguſtia inuenerunt me:* mandata tua meditatio mea eſt.
Æquitas teſtimonia tua in æternum: * intellectum da mihi, & viuam.
Gloria Patri, &c.
Clamaui in toto corde meo, exaudi me Domine: * iuſtificationes tuas requiram.
Clamaui ad te ſaluum me fac: vt cuſtodiam mandata tua.
Præueni in maturitate, & clamaui:* quia in verba tua ſuper ſperaui.
Præuenerunt oculi mei ad te diluculo: * vt meditarer eloquia tua.
Vocem meam audi ſecundum miſericordiã tuam Domine: * & ſecũdum iudicium tuum viuifica me.
Appropinquauerunt perſequẽtes me iniquitati:* à lege autẽ tua longè facti ſunt.
Prope es tu Domine:* & omnes viæ tuæ veritas.
Initio cognoui de teſtimonijs tuis,* quia in æternum fundaſti ea.
Vide humilitatem meam, & eripe me:* quia legem tuã non ſum oblitus.
Iudica iudicium meum,& redime me : * propter eloquium tuum viuifica me.
Longe à peccatoribus ſalus: * quia iuſtificationes tuas non exquiſierunt.
Miſericordiæ tuæ multæ Domine : * ſecundum iudicium tuum viuifica me.
Multi qui perſequuntur me,& tribulãt me:* à teſtimonijs tuis non declinaui.
Vidi præuaricantes,& tabeſcebam:* quia eloquia tua non cuſtodierunt.
Vide quoniam mandata tua dilexi Domine:* in miſericordia tua viuifica me.
Principium verborum tuorũ, veritas:* in æternum omnia iudicia iuſtitiæ tuæ.
Gloria Patri, &c.

Prin-



Principes perſecuti ſunt me gratis: * à verbis tuis formidauit cor meum.
Lætabor ego ſuper eloquia tua : * ſicut qui inuenit ſpolia multa.
Iniquitatem odio habui , & abominatus ſum:* legem autẽ tuam dilexi.
Septies in die laudem dixi tibi,* ſuper iudicia iuſtitiæ tuæ.
Pax multa diligentibus legem tuam:* & non eſt illis ſcandalum.
Expectabam ſalutare tuum Domine:* & mandata tua dilexi.
Cuſtodiuit anima mea teſtimonia tua:* & dilexit ea vehementer.
Seruaui mandata tua, & teſtimonia tua : * quia omnes viæ meæ in conſpectu tuo.
Appropinquet deprecatio mea in conſpectu tuo Domine : * iuxta eloquium tuum da mihi intellectum.
Intret poſtulatio mea in conſpectu tuo: * ſecundum eloquiũ tuum eripe me.
Eructabunt labia mea hymnum:* cum docueris me iuſtificationes tuas.
Pronunciabit lingua mea eloquium tuum:* quia omnia mãdata tua æquitas.
Fiat manus tua, vt ſaluet me:* quoniam mandata tua elegi.
Concupiui ſalutare tuum Domine : * & lex tua meditatio mea eſt.
Viuet anima mea, & laudabit te : * & iudicia tua adiuuabunt me.
Erraui ſicut ouis quæ perijt: * quære ſeruum tuum, quia mãdata tua non ſum oblitus.
Gloria Patri, & Filio, &c.
Aña. Beneplacitum eſt Domino in Nomine Mariæ, in quo exultauit manſuetos in ſalutẽ.

Capitulum. *Ezech. c. 16. b*

Egreſſum eſt nomen meũ in Gentes propter ſpeciẽ tuam, quia perfecta eras in decore meo, quem poſuerã ſuper te: Dicit Dominus Deus.
℟. Deo gratias. ℟. breu. Aue Maria,* gratia plena. Aue Maria gratia plena. Dominus tecum.
Gloria Patri, & Filio, &c.
Aue Maria gratia plena.
℣. Lætabor & exultabo in te, Maria. ℟. Pſalmum dicã nomini tuo. ℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

Deus qui glorioſam Matrẽ tuam nominari Mariã voluiſti: concede quæſumus vt qui dulce eiuſdem Mariæ nomen implorant, perpetuum ſentiant tuæ benedictionis effectum, Qui viuis, &c.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum ſpiritu tuo.
℣. Benedicamus Domino.
℟. Deo gratias.
℣. Fidelium Animæ per miſericor-

cordiam Dei, requieſcant in pace. ℟. Amen.

In ij. Veſper. vt in primis, &c.

Ad Magnificat.

Añ. Maria Virgo omnium oculis gratioſa: nominatum eſt nomen gloriæ eius vſque in extremum terræ.

ORATIO

dicenda ante diuinum Officiũ.

APeri Domine os meum ad benedicendum nomẽ ſanctum tuum: munda quoque cor meum ab omnibus vanis, peruerſis & alienis cogitationibus: intellectum illumina, affectum inflamma, vt dignè, attentè, ac deuotè hoc Officium recitare valeam, & exaudiri merear ante conſpectũ diuinæ Maieſtatis tuæ. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Domine, in vnione illius diuinæ intentionis, qua ipſe in terris laudes Deo perſoluiſti, has tibi Horas perſoluo.

Orationem ſequẽtem deuotè poſt Officium recitantibus Leo Papa X. defectus & culpas in eo perſoluendo ex humana fragilitate contractas indulſit.

SAcroſanctæ & indiuiduæ Trinitati, crucifixi Domini noſtri Ieſu Chriſti humanitati, beatiſsimæ, & glorioſiſsimæ ſemperque virginis Mariæ fecundæ integritati, & omnium Sanctorum vniuerſitati, ſit ſempiterna laus, honor, virtus & gloria, ab omni creatura, nobiſque remiſsio omnium peccatorum, per infinita ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

℣. Beata viſcera Mariæ virginis quæ portauerunt æterni Patris Filium. ℟. Et beata vbera, quæ lactauerunt Chriſtum Dominũ. Pater noſter. Aue Maria.

MIS-

# MISSA DE SANCTISSIMO NOMINE VIRGINIS MARIÆ.

INTROITVS.

VVltum tuum deprecabũtur omnes diuites plebis, adducentur Regi virgines poſt eam, proximæ eius adducentur tibi in lætitia & exultatione.

Pſalmus 44.

ERuctauit cor meum verbũ bonum. Dico ego opera mea Regi.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto. Sicut erat in principio, & nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. Amen.

Vultum tuum, &c.

Oremus.

DEus qui glorioſam matrem tuam nominari Mariam voluiſti, concede quæſumus: vt qui dulce eiuſdem Mariæ nomen implorant, perpetuum ſentiant tuæ benedictionis effectum. Qui viuis, &c.

Lectio Libri Sap. *Eccl c. 24.*

EGo, quaſi vitis fructificaui ſuauitatem odoris: & flores mei fructus honoris, & honeſtatis. Ego mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & ſanctæ ſpei. In me gratia omnis viæ & veritatis; in me omnis ſpes vitæ & virtutis. Trãſite ad me omnes qui concupiſcitis me, & à generationibus meis adimplemini. Spiritus enim meus ſuper mel dulcis, & hæreditas mea ſuper mel & fauum. Memoria mea in generatione ſæculorum. Qui edunt me, adhuc eſurient: & qui bibunt me, adhuc ſitient. Qui audit me, non confundetur: & qui operantur in me, non peccabũt. Qui elucidant me, vitam æternam habebunt.

Grad. Benedicta, & venerabilis es Virgo Maria, quæ ſine tactu pudoris inuenta es mater Saluatoris.

℣. Virgo, Dei genitrix, quem totus non capit orbis; in tua ſe clauſit viſcera factus, homo, Alleluia, Alleluia.

℣. Tu gloria Ieruſalem, tu lætitia Iſrael, tu honorificẽtia populi noſtri, Alleluia.



Euan-

**EVANGELIVM.**

Sequentia ſancti Euangelij ſecundùm Lucam. *Cap. 1.*

Gloria tibi Domine.

IN illo tēpore. Miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo in ciuitatē Galileæ, cui nomen Nazareth, ad Virginē deſponſatā viro, cui nomē erat Ioſeph de domo Dauid, & nomen Virginis Maria. Et ingreſſus Angelus ad eā, dixit: Aue gratia plena: Dominus tecū: benedicta tu in mulieribus. Quæ cum audiſſet, turbata eſt in ſermone eius, & cogitabat qualis eſſet iſta ſalutatio. Et ait Angelus ei: Ne timeas, Maria, inueniſti enim gratiā apud Deū: ecce concipies in vtero, & paries filiū, & vocabis nomē eius Ieſum. Hic erit magnus, & filius Altiſsimi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus ſedē Dauid patris eius; & regnabit in domo Iacob in æternū, & regni eius non erit finis. Dixit autem Maria ad Angelum: Quomodo fiet iſtud; quoniam virum non cognoſco? Et reſpōdens Angelus, dixit ei: Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſsimi obumbrabit tibi. Ideoque & quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur filius Dei. Et ecce Eliſabeth cognata tua, & ipſa concepit filium in ſenectute ſua; & hic menſis ſextus eſt illi, quæ vocatur ſterilis; quia non erit impoſsibile apud Deum omne verbum. Dixit autem Maria: Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum. Credo.

Oremus. Offertorium.

AVe Maria gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui.

Secreta.

TVa Domine propitiatione, & beatæ Mariæ ſemper Virginis interceſsione, ad perpetuam, atque præſentem hæc oblatio nobis proficiat proſperitatem, & pacem. Per Dominū noſtrum Ieſum Chriſtum, &c.

Communio.

BEata viſcera Mariæ Virginis, quæ portauerūt æterni Patris Filium.

Poſtcommunio.

SVmptis Domine, ſalutis noſtræ ſubſidiis: da, quæſumus beatæ Mariæ ſemper Virginis patrociniis nos vbique protegi: in cuius veneratione hæc tuæ obtulimus maieſtati. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium tuum, qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus ſancti Deus. Per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

---

## PSALMI DE SANCTISſimo Nomine Mariæ.

Canticum B. M. Virginis.

M. *Luc. 1.*

MAgnificat * anima mea Dominum.





Et exultauit ſpiritus meus, * in Deo ſalutari meo.

Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ: * ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.

Quia fecit mihi magna qui potens eſt: * ſanctum nomen eius.

Et miſericordia eius à progenie in progenies, * timentibus eum.

Fecit potentiam in brachio ſuo: * diſperſit ſuperbos mente cordis ſui.

Depoſuit potentes de ſede, * & exaltauit humiles.

Eſurientes impleuit bonis: * & diuites dimiſit inanes.

Suſcepit Iſrael puerum ſuum, * recordatus miſericordiæ ſuæ.

Sicut locutus eſt ad patres noſtros, * Abrahā, & ſemini eius in ſæcula.

Gloria Patri, & Filio, &c.

℣. Poſt partum Virgo inuiolata permanſiſti.

℞. Dei genitrix intercede pro nobis. Oremus.

DEus, qui glorioſam Matrem tuā nominari Mariam voluiſti: concede, quæſumus, vt qui dulce Mariæ nomē implorant, perpetuum ſentiant tuæ benedictionis effectū. Qui viuis & regnas cum Deo Patre.

Pſalm. 119.

A.

AD Dominum cum tribularer, clamaui: * & exaudiuit me.

Domine libera animam meam à labijs iniquis, * & à lingua doloſa.

Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi, * ad linguam doloſam?

Sagittæ potentis acutæ, * cum carbonibus deſolatorijs.

Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt: habitaui cum habitantibus Cedar: * multum incola fuit anima mea.

Cum his qui oderunt pacem, erā pacificus: * cum loquebar illis, impugnabant me gratis.

Gloria Patri, & Filio, * & Spiritui ſancto.

Sicut erat in principio & nunc, & ſemper, * & in ſæcula ſæculorum. Amen.

Deus, qui glorioſam, vt ſuprà.

Pſalmus 118.

R.

REtribue ſeruo tuo, viuifica me: * & cuſtodiā ſermones tuos.

Reuela oculos meos: & conſiderabo mirabilia de lege tua.

Incola ego ſum in terra: * non abſcondas à me mandata tua.

Concupiuit anima mea deſiderare iuſtificationes tuas, * in omni tempore.

Increpaſti ſuperbos: * maledicti qui declinãt à mãdatis tuis.

Aufer à me opprobrium, & contemptum: * quia teſtimonia tua exquiſiui.

Etenim ſederunt Principes, & aduerſum me loquebantur: * ſer-

ſeruus autem tuus exercebatur in iuſtificationibus tuis.

Nam & teſtimonia tua meditatio mea eſt: * & conſilium meum iuſtificationes tuæ.

Adhæſit pauimēto anima mea: * viuifica me ſecūdum verbum tuum.

Vias meas enuntiaui, & exaudiſti me: * doce me iuſtificationes tuas.

Viam iuſtificationum tuarum inſtrue me: * & exercebor in mirabilibus tuis.

Dormitauit anima mea præ tædio: * confirma me in verbis tuis.

Viam iniquitatis amoue à me: * & de lege tua miſerere mei.

Viam veritatis elegi: * iudicia tua non ſum oblitus.

Adhæſi teſtimonijs tuis Domine: * noli me confundere.

Viam mandatorum tuorum cucurri: * cum dilataſti cor meum.

Gloria Patri, &c.

Deus qui glorioſam, vt ſupra.

Pſalmus 125.

I.

IN conuertendo Dominus captiuitatem Sion, * facti ſumus ſicut conſolati.

Tunc repletum eſt gaudio os noſtrū: * & lingua noſtra exultatione.

Tunc dicent inter gentes: * Magnificauit Dominus facere cum eis.

Magnificauit Dominus facere nobiſcum: * facti ſumus lætantes.

Conuerte Domine captiuitatem noſtram, * ſicut torrens in Auſtro.

Qui ſeminant in lacrymis, * in exultatione metent.

Euntes ibant, & flebant, * mittentes ſemina ſua.

Venientes autem venient cum exultatione, * portantes manipulos ſuos.

Gloria Patri, &c.

Deus qui glorioſam vt ſuprà.

Pſalm. 122.

A.

AD te leuaui oculos meos, * qui habitas in cælis.

Ecce ſicut oculi ſeruorum, * in manibus dominorum ſuorum.

Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ ſuæ: * ita oculi noſtri ad Dominum Deum noſtrum, donec miſereatur noſtri.

Miſerere noſtri Domine, miſerere noſtri: * quia multū repleti ſumus deſpectione.

Quia multum repleta eſt anima noſtra: * opprobrium abundātibus, & deſpectio ſuperbis.

Gloria Patri, & Filio, * & Spiritui Sancto. Sicut erat in principio & nunc, & ſemper, * & in ſæcula ſæculorum, Amen.

Deus qui glorioſam vt ſuprà.

---

## DIE XVIII. SEPTEMBRIS.

In feſto Sanctæ Thomæ de Villanoua Conf. Pont. Semid.

Omnia de Communi Confeſſoris Pontifices, præter Añas ad Magnificat, & Benedictus, Orationem, & Lectionem ſecundi Nocturni.

Antiphon. In vtriſque veſperis.

Diſperſit, dedit pauperibus: iuſtitia eius manet in ſæculum ſeculi. Pſalm. 111.

Oratio.

DEus qui Beatum Thomam Pontificem inſignis in pauperes miſericordiæ virtute decoraſti, quæſumus, vt eius interceſsione in omnes, qui te deprecantur, diuitias miſericordiæ tuæ benignus effundas. Per Dominum, &c.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrenti. Si hoc feſtum venerit in quatuor temporibus lectiones primi Nocturni. Fidelis ſermo: de cōmuni Cōf. Pontific.

In ſecundo Nocturno.

Lectio iv.

THomas in Oppido Fontiſplani Toletanæ Diœceſeos in Hiſpania natus anno Domini milleſimo quadringēteſimo octogeſimo octauo, ab optimis parentibus ineunte vita pietatem, & ſingularem in pauperes miſericordiam accepit, cuius adhuc puer cōplura dedit exēpla, ſed illud in primis nobile, quod vt nudos operiret, propriis veſtibus non ſemel ſe ipſum exuit. Exacta pueritia, Cōpluto, quo miſſus fuerat, vt litteras operam daret, patris obitu reuocatus, vniuerſam hæreditatem egenis virginibus alēdis dicauit; eodemque; ſtatim profectus eſt, vt curriculum ſacræ Theologiæ conficeret: interim aſsiduis præcibus ſcientiam Sanctorum, & rectam vitæ, morumque normam à Domino vehementiſsimè poſtulans: quare diuino inſtinctu Eremitarum Sanctæ Auguſtini amplexus eſt inſtitutum.

Lectio v.

REligionem profeſſus, omnibus religioſi hominis virtutibus, & ornamētis excelluit: humilitate, pacientia, continentia, ſed ardentiſsima charitate ſummè conſpicuus: inter varios, & aſsiduos labores orationi, rerumque diuinarum meditationi inuicto ſpiritu ſemper intentus. Prædicandi onus, vtpotè ſanctimonia, & doctrina præſtans ſubire iuſſus, cœleſti aſpirante gratia, innumerabiles è vitiorum cœno in viam ſalutis eduxit. Regendis deindè fratribus admotus, prudentiā, æquitatem, & manſuetudinem, pari ſedulitate, ac ſeueritate coniunxit, adeò vt priſcam ſui Ordinis diſciplinam, multis in locis, vel firmauerit, vel reſtituerit.

Lectio vi.

GRanatenſis Archiepiſcopus deſignatus, mira humilitate, & conſtantia inſigne munus reiecit. Verum nō multò poſt, Valentinam Eccleſiam iu-

ſuperiorum auctoritate coactus, gubernandam ſuſcepit; quam annis fermè vndecim ita rexit, vt ſanctiſsimi, & vigilantiſsimi Paſtoris partes expleuerit. Cæterum conſueta viuendi ratione nihil admodum immutata: in explebili charitati multò magis indulſit, cum amplos Eccleſiæ reditus in egenos diſperſit, ne lectulo quidem ſibi relicto; nam eum, in quo decumbebat cum in cælum euocaretur, ab eodem commodatũ habuit, cui paulò ante eleemoſynæ loco donauerat. Obdormiuit in Domino ſexto Idus Septembris, annos natus octo, & ſexaginta. Serui ſui ſanctitatem adhuc viuentis, & exinde poſt mortem miraculis Deus teſtatam voluit, præſertim, cũ horreum frumento pauperibus diſtributo penitus vacuum, repentè plenum inuentum eſt: & cum ad eius ſepulchrũ puer mortuus reuixit. Quibus, aliiſque non paucis fulgentem ſignis, Alexander Septimus Pontifex Maximus Sanctorum numero adſcripſit, atque eius memoriam quarto decimo Kalẽdas Octobris celebrari mandauit.

In tertio nocturno.

Homilia in Euangelio.

Homo peregrè proficiſcens.

Vt in Communi Confeſſ. Pont. ...

Aña. Ad Benedictus.

Eleemoſynas illius enarrabit omnis Eccleſia Sanctorum. Eccleſ. 31.

Miſſa de Communi Confeſſ. Pont.

Statuit ei Dominus. Cum Orationes proprias. Deus qui Beatum Thomam, &c. Euangel. Homo peregrè proficiſcens.

Secreta.

OMnipotens, & miſericors Deus: da quæſumus, vt ſicut merita Beati Thomæ Confeſſoris tui, atque Pontificis manus pauperum in Cœlum deportauerunt, ita pijs eiuſdem præcibus ad te noſtra deferatur oblatio.

Poſt Commun.

GEmitus inopiæ noſtræ aſcendant ad te Domine, vt corporis tui cibo, & ſanguinis potu, animarum noſtrarũ eſuries ſacietur, & ſitis: Qui viuis, &c.

---

## DIE III. DECEMBRIS.

In feſto S. Franciſci Xauerij Societatis Ieſu Confeſſoris. Semiduplex.

Cum Lectionibus ſecundi Nocturni, & oratione.

A Sacra Rituum Congregatione approbatum, de mandato Sanct. D. N. Alexandri diuinã diſpoſitione Papæ VII. in Breuiar. Romano apponendum.

Et ab omnibus vtriuſque ſexus Chriſti fidelibus, qui ad horas Canonicas tenentur, recitandum die tertia Decembris.



Omnia de Communi Confeſſoris non Pontificis, præter Orationem, & Lectiones ſecũdi Nocturni.

Oratio.

DEus, qui Indiarum gentes beati Franciſci prædicatione, & miraculis Eccleſiæ tuæ aggregare voluiſti; cõcede propitius, vt cuius glorioſa merita veneramur, virtutum quoque imitemur exempla. Per Dominum.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

Lectio iv.

FRãciſcus in Xauerio Diœceſis Pompelonenſis nobilibus Parentibus natus, Pariſijs S. Ignatio ſeſe comitem, & diſcipulum iunxit. Ipſo Magiſtro eo breui deuenit, vt in rerum diuinarum cõtemplatione defixus, à terra aliquando ſublimis eleuaretur: Quod illi ſacrificanti coram populi multitudine aliquoties euenit. Has animi delitias magnis ſui corporis cruciatibus merebatur. Nam interdicto ſibi, non carnis ſolum, & vini, ſed panis quoque triticei vſu, vilibus cibis veſci ſolitus, per biduum ſubinde, triduumque omni prorſus alimento abſtinebat. Ferreis in ſe flagellis ita ſæuiebat, vt ſæpè copioſo cruore difflueret; ſomnum breuiſsimum humi iacẽs carpebat.

Lectio v.

VItæ auſteritate, ac ſanctitate Apoſtolico muneri, iam maturus, cum Ioannes III. Luſitaniæ Rex aliquot naſcentis Societatis viros à Paulo Tertio pro Indijs poſtulaſſet; S. Ignatij hortatu ab eodem Pontifice ad tantum opus cum Apoſtolici Nũcij poteſtate deligitur. Eò appulſus illicò variarum gentium difficillimis, & varijs linguis diuinitus inſtructus apparuit. Quin eum quandoque vnico idiomate ad diuerſas gentes conciònãtem, vnaquæque ſua lingua loquẽtem audiuit. Prouincias innumeras pedibus ſemper, & ſæpè nudis peragrauit. Fidem Iaponiæ, & ſex alijs Regionibus inuexit. Multa centena hominũ millia ad Chriſtum in Indijs conuertit; magnoſque Principes, Regeſque complures ſacro Fonte expiauit. Et cum tam magna pro Deo ageret, ea erat humilitate, vt S. Ignatio, tunc Præpoſito ſuo, flexis genibus ſcriberet.

Lectio vj.

HVnc dilatandi Euangelij ardorem multitudine, & excellentia miraculorum Dominus roborauit. Cæco viſum reddidit. Tantum marinæ aquæ ſolo Crucis ſigno conuertit in dulcem,

quantum quingētis vectoribus, qui ſiti adigebantur ad mortem, diu ſuffecit, qua in varias quoque regiones aſportata, ægri plurimi ſubitò curati ſunt. Plures mortuos reuocauit ad vitam, inter quos pridie ſepultum erui iuſſum è tumulo ſuſcitauit, duoſque alios, dum efferentur, apprehenſa eorum manu, parentibus è feretro viuos reſtituit. Prophetiæ ſpiritu paſſim afflatus plurima, & loco, & tempore remotiſsima enunciauit. Demum in Sanciano Sinarum Inſula die ſecunda Decembris ad cœleſtem gloriam euolauit. Demortui cadauer viua calce per multos menſes bis obrutum, ſed penitus incorruptum, odore, & ſanguine manauit, & vbi Malacā delatum eſt, vrbem illam à ſæuiſsima peſte liberauit. Denique vbique terrarum nouis, maximiſque fulgentem miraculis Gregorius XV. Sanctis adſcripſit.

In tertio Nocturno Euangelium **Sint lumbi veſtri, &c.** Homilia S. Gregorij Papæ de Communi Confeſſ. Pontif.

Miſſa de Commun. Confeſſ. Pontif. **Os iuſti** &c. Oratio prima vt ſupra. Secreta **Præſta nobis quæſumus,** &c. Poſt com. **Quæſumus omnipotens Deus,** &c. de eodem Communi.

## DIE VIII. DECEMBRIS.

# OFFICIVM IMMACVLATÆ

## Conceptionis B. Mariæ Virginis, cum Octaua.

### AD VESPERAS.

Aña. Conceptio glorioſæ Virginis Mariæ, ex ſemine Abrahæ, ortæ de tribu Iuda, clara ex ſtirpe Dauid.

Pſalmus 109.

DIxit Dominus Domino meo: * ſede à dextris meis:

Donec ponam inimicos tuos: * ſcabellum pedum tuorum.

Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion: * dominare in medio inimicorum tuorum.

Tecum principium in die virtutis tuæ, in ſplendoribus ſanctorum: * ex vtero ante luciferum genui te.

Iurauit Dominus, & nō pœnitebit eum: * Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech.

Dominus à dextris tuis, * confregit in die iræ ſuæ reges.

Iu-



Iudicabit in nationibus, implebit ruinas: * conquaſſabit capita in terra multorum.

De torrente in via bibet: * propterea exaltabit caput.

Gloria Patri, & Filio.

Ant. Conceptio glorioſæ Virginis Mariæ, ex ſemine Abrahæ, ortæ de tribu Iuda, clara ex ſtirpe Dauid.

Ant. Conceptio eſt hodie ſanctæ Mariæ Virginis, cuius vita inclyta cunctas illuſtrat Eccleſias.

Pſalmus 112.

LAudate pueri Dominum: * laudate nomen Domini.

Sit nomen Domini benedictum, * ex hoc nunc, & vſque in ſæculum.

A ſolis ortu, vſque ad occaſum, * laudabile nomen Domini.

Excelſus ſuper omnes gentes Dominus, * & ſuper cælos gloria eius.

Quis ſicut Dominus Deus noſter, qui in altis habitat, * & humilia reſpicit in cælo, & in terra?

Suſcitans à terra inopem, * & de ſtercore erigens pauperem.

Vt collocet eum cum principibus, * cum principibus populi ſui.

Qui habitare facit ſterilem in domo, * matrem filiorum lætantem.

Gloria Patri, & Filio.

Ant. Conceptio eſt hodie ſanctæ Mariæ Virginis, cuius vita inclyta cūctas illuſtrat Eccleſias.

Ant. Regali ex progenie Maria exorta refulget, cuius precibus nos adiuuari mente, & ſpiritu deuotiſsimè poſcimus.

Pſalmus 121.

LÆtatus ſum in hijs, quæ dicta ſunt mihi: * in domū Domini ibimus.

Stantes erant pedes noſtri, * in atrijs tuis Ieruſalem.

Ieruſalem, quæ ædificatur vt ciuitas: * cuius participatio eius in id ipſum.

Illuc enim aſcenderunt tribus, tribus Domini: * teſtimonium Iſrael ad confitendum nomini Domini.

Quia illic ſederunt ſedes in iudicio, * ſedes ſuper domum Dauid.

Rogate quæ ad pacem ſunt Ieruſalem: * & abundantia diligentibus te.

Fiat pax in virtute tua: * & abūdantia in turribus tuis.

Propter fratres meos, & proximos meos, * loquebar pacem de te.

Propter domum Domini Dei noſtri, * quæſiui bona tibi.

Gloria Patri, & Filio.

Ant. Regali ex progenie Maria exorta refulget, cuius precibus nos adiuuare mente, & ſpiritu deuotiſsimè poſcimus.

Ant. Corde & animo Chriſto canamus gloriam, in hac ſacra ſolemnitate præcelſæ genitricis Dei Mariæ.

Pſalmus 126

NIſi Dominus ædificauerit domum,* in vanũ laborauerunt qui ædificant eam.

Niſi Dominus cuſtodierit ciuitatem,* fruſtra vigilat qui cuſtodit eam.

Vanum eſt vobis ante lucem ſurgere:* ſurgite poſtquam ſederitis, qui manducatis panem doloris.

Cũ dederit dilectis ſuis ſomnum:* ecce hereditas Domini, filij merces, fructus ventris.

Sicut ſagittæ in manu potentis: * ita filij excuſſorum.

Beatus vir, qui impleuit deſiderium ſuum ex ipſis:* non cõfundetur cum loquetur inimicis ſuis in porta.

Gloria Patri, & Filio.

Aña Corde & animo Chriſto canamus gloriam, in hac ſacra ſolemnitate præcelſæ genitricis Dei Mariæ.

Aña Cum iucunditate Conceptionem beatæ Mariæ celebremus, vt ipſa pro nobis intercedat ad Dominũ Ieſum Chriſtum.

Pſalmus 147.

LAuda Ieruſalem Dominum.* lauda Deum tuum Sion.

Quoniã confortauit ſeras portarum tuarum:* benedixit Filijs tuis in te.

Qui poſuit fines tuos pacem:* & adipe frumenti ſatiat te.

Qui emittit eloquium ſuum terræ:* velociter currit ſermo eius.

Qui dat niuem ſicut lanã:* nebulam ſicut cinerem ſpargit.

Mittit cryſtallum ſuam ſicut buccellas:* ante faciem frigoris eius quis ſuſtinebit?

Emittet verbum ſuum, & liquefaciet ea: * flabit ſpiritus eius, & fluent aquæ.

Qui annuntiat verbum ſuum Iacob: * iuſtitias, & iudicia ſua Iſrael.

Non fecit taliter omni nationi:* & iudicia ſua non manifeſtauit eis.

Gloria Patri, & Filio.

Aña Cum iucunditate Conceptionem beatæ Mariæ celebremus, vt ipſa pro nobis intercedat ad Dominum Ieſum Chriſtum.

Capitulum. *Eccleſ. 24. b*

AB initio, & ante ſæcula creata ſum, & vſque ad futurum ſæculum non deſinam, & in habitatione ſancta coram ipſo miniſtraui.

Hymnus.

AVe Maris ſtella,
Dei mater alma,
Atque ſemper virgo,
Felix cæli porta.
Sumens illud Aue,
Gabrielis ore,
Funda nos in pace,
Mutans Heuæ nomen,
Solue vincla reis,
Profer lumen cæcis,
Mala noſtra pelle,
Bona cuncta poſce.
Monſtra te eſſe matrem,
Sumat per te preces,
Qui pro nobis natus
Tulit eſſe tuus.
Virgo ſingularis,
Inter omnes mitis,
Nos culpis ſolutos,
Mites fac, & caſtos.
Vitam præſta puram,
Iter para tutum,
Vt videntes Ieſum,
Semper collætemur.
Sit laus Deo Patri,
Summo Chriſto decus,
Spiritui Sancto
Tribus honor vnus. Amen.

℣. Conceptio eſt hodie Sanctæ Mariæ Virginis. ℟. Cuius vita inclyta cunctas illuſtrat Eccleſias.

Ad Magnificat. Antiphona.

Glorioſæ Virginis Mariæ Cõceptionem digniſsimam recolamus, quæ & genitricis dignitatem obtinuit, & virginalem pudicitiam non amiſit.

Oratio.

FAmulis tuis, quæſumus Domine, cæleſtis gratiæ munus impertire: vt quibus beatæ Virginis partus extitit ſalutis exordium, Conceptionis eius votiua ſolemnitas, pacis tribuat incrementum. Per Dominum noſtrum.

Deinde fit commemoratio S. Ambroſij.

Aña O Doctor optime, Eccleſiæ ſanctæ lumen, beatæ Ambroſi, diuini legis amator, deprecare pro nobis Filium Dei.

℣. Iuſtum deduxit Dominus per vias rectas. ℟. Et oſtendit illi regnum Dei.

Oratio.

DEus, qui populo tuo æternæ ſalutis beatum Ambroſium miniſtrũ tribuiſti: præſta quæſumus; vt, quem doctorem vitæ habuimus in terris, interceſſorem habere mereamur in cœlis. Per Dominum noſtrum.

Poſteà de Feria occurrente.

Ad Matutinum, Inuitatorium.

COnceptionem Virginis Mariæ celebremus: * Chriſtum eius Filium adoremus Dominum.

Pſalmus. Venite exultemus.

Hymnus.

QVẽ terra, pontus, ſidera
Colunt, adorant, prædicant
Trinam regẽtem machinã,
Clauſtrum Mariæ baiulat.
Cui luna, ſol, & omnia
Deſeruiunt per tempora,
Perfuſa cæli gratia,
Geſtant puellæ viſcera.
Beata Mater munere,
Cuius ſupernus Artifex
Mundum pugillo continẽs,
Ventris ſub arca clauſus eſt.
Beata cæli nuntio,
Fecunda Sancto Spiritu,
Deſideratus gentibus
Cuius per aluum fuſus eſt.
Ieſu, tibi ſit gloria,

Qui natus es de Virgine,
Cum Patre, & almo Spiritu,
In ſempiterna ſæcula, Amen.

In primo Nocturno. Aña.

Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui.

Pſalmus 8.

Domine Dominus noſter, * quàm admirabile eſt nomen tuum in vniuerſa terra.

Quoniam eleuata eſt magnificentia tua, * ſuper cælos.

Ex ore infantium, & lactentiũ perfeciſti laudem propter inimicos tuos, * vt deſtruas inimicum, & vltorem.

Quoniam videbo cælos tuos, opera digitorum tuorum : * lunam, & ſtellas, quæ tu fundaſti.

Quid eſt homo, quod memor es eius? * aut filius hominis, quoniam viſitas eum?

Minuiſti eum paulò minus ab Angelis; gloria, & honore coronaſti eum : * & conſtituiſti eum ſuper opera manuũ tuarũ.

Omnia ſubiecisti ſub pedibus eius, * oues & boues vniuerſas, inſuper, & pecora campi.

Volucres cæli, & piſces maris, * qui perambulant ſemitas maris.

Domine Dominus noſter, * quàm admirabile eſt nomen tuum in vniuerſa terra!

Gloria Patri, & Filio.

Aña. Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui.

Aña. Sicut myrrha electa odorem dediſti ſuauitatis ſancta Dei genitrix.

Pſalmus 18.

Cæli enarrãt gloriam Dei, * & opera manuum eius annuntiat firmamentum.

Dies diei eructat verbum, * & nox nocti indicat ſcientiam.

Non ſunt loquelæ, neque ſermones, * quorum non audiantur voces eorum.

In omnem terram exiuit ſonus eorum : * & in fines orbis terræ verba eorum.

In ſole poſuit tabernaculum ſuum : * & ipſe tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo:

Exultauit vt gigas ad currendam viam, * à ſummo cælo egreſsio eius.

Et occurſus eius vſque ad ſummum eius: * nec eſt qui ſe abſcondat à calore eius.

Lex Domini immaculata conuertens animas: * teſtimonium Domini fidele, ſapientiam præſtans paruulis.

Iuſtitiæ Domini rectæ, lætificantes corda: * præceptum Domini lucidum illuminans oculos.

Timor Domini ſanctus, permanens in ſæculum ſæculi : * iudicia Domini vera, iuſtificata in ſemetipſa.

Deſiderabilia ſuper aurum & lapidem pretioſum multũ: * & dulciora ſuper mel, & fauum.

Etenim ſeruus tuus cuſtodit

ea:

ea: * in cuſtodiendis illis retributio multa.

Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me : * & ab alienis parce ſeruo tuo.

Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero : * & emundabor à delicto maximo.

Et erunt vt complaceant eloquia oris mei : * & meditatio cordis mei in conſpectu tuo ſemper.

Domine adiutor meus, * & redemptor meus.

Gloria Patri, & Filio.

Aña. Sicut myrrha electa odorẽ dediſti ſuauitatis ſancta Dei genitrix.

Aña. Ante torum huius Virginis frequentate nobis dulcia cantica dramatis.

Pſalmus 23.

Domini eſt terra, & plenitudo eius; * orbis terrarum, & vniuerſi qui habitant in eo.

Quia ipſe ſuper maria fundauit eum: * & ſuper flumina præparauit eum.

Quis aſcendet in montem Domini? * aut quis ſtabit in loco ſancto eius?

Innocens manibus, & mundo corde, * qui non accepit in vano animam ſuam, nec iurauit in dolo proximo ſuo.

Hic accipiet benedictionem à Domino: * & miſericordiam à Deo ſalutari ſuo.

Hæc eſt generatio quærentium eum, * quærentium faciem Dei Iacob.

Attollite portas principes veſtras, & eleuamini portæ æternales: * & introibit Rex gloriæ.

Quis eſt iſte Rex gloriæ? * Dominus fortis, & potens: Dominus potens in prælio.

Attollite portas principes veſtras, & eleuamini portæ æternales: * & introibit Rex gloriæ.

Quis eſt iſte Rex gloriæ? * Dominus virtutum ipſe eſt Rex gloriæ.

Gloria Patri, & Filio.

Aña. Ante torum huius Virginis, frequentate nobis dulcia cantica dramatis.

℣. Specie tua, & pulchritudine tua. ℟. Intende proſpere procede, & regna. Pater noſter.

Abſolutio: Exaudi Domine. Iube domne. Benedictio. Benedictione perpetua.

De libro Eccleſiaſtici.

Lectio I. *Cap. 24.*

Ego ex ore Altiſsimi prodiui primogenita ante omnem creaturam: Ego feci in cælis, vt oriretur lumẽ indeficiẽs, & ſicut nebula texi omnem terram: Ego in altiſsimis habitaui, & thronus meus in columna nubis. Gyrum cœli circuiui ſola, & profundum abyſsi penetraui, in fluctibus maris ambulaui, & in omni terra ſteti: & in omni populo: & in omni gente primatum habui; & omnium

excellẽtium, & humilium corda virtute calcaui: & in his omnibus requiem quæſiui, & in hereditate Domini morabor. Tunc præcepit, & dixit mihi Creator omnium: & qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo, & dixit mihi: In Iacob inhabita, & in Iſrael hereditare, & in electis mitte radices.

℟. Hodie concepta eſt beata Virgo Maria ex progenie Dauid. * Per quam ſalus mundi credentibus apparuit, cuius vita glorioſa lucem dedit ſeculo.

℣. Conceptionem beatæ Mariæ cum gaudio celebremus. * Per quam.

Benedictio. Vnigenitus Dei Filius.

Lectio ii.

AB initio: & ante ſæcula creata ſum, & vſque ad futurum ſæculum nõ deſinam, & in habitatione ſancta coram ipſo miniſtraui. Et ſic in Sion firmata ſum, & in ciuitate ſanctificata ſimiliter requieui, & in Ieruſalem poteſtas mea. Et radicaui in populo honorificato, & in parte Dei mei hæreditas illius, & in plenitudine ſanctorum detentio mea. Quaſi cedrus exaltata ſum in Libano, & quaſi cypreſſus in monte Sion: quaſi palma exaltata ſum in Cades, & quaſi plantatio roſæ in Iericho. Quaſi oliua ſpecioſa in campis, & quaſi platanus exaltata ſum iuxtà aquã in plateis. Sicut cinnamomum, & balſamum aromatizãs odorem dedi: quaſi myrrha electa dedi ſuauitatem odoris: & quaſi ſtorax, & galbanus, & vngula, & gutta, & quaſi Libanus non inciſus vaporaui habitationem meam, & quaſi balſamum non miſtum odor meus.

℟. Beatiſsimæ Virginis Mariæ Conceptionem deuotiſsimè celebremus. * Vt ipſa pro nobis intercedat ad Dominum Ieſum Chriſtum.

℣. Cum iucunditate Conceptionem beatæ Mariæ Virginis deuotiſsimè celebremus. Vt ipſa. Benedictio. Spiritus Sancti gratia.

Lectio iij.

EGo quaſi terebinthus extendi ramos meos, & rami mei honoris, & gratiæ. Ego quaſi vitis fructificaui ſuauitatem odoris: & flores mei fructus honoris, & honeſtatis. Ego mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & ſanctæ ſpei. In me gratia omnis viæ & veritatis, in me omnis ſpes vitæ & virtutis. Tranſite ad me omnes qui concupiſcitis me, & à generationibus meis implemini: Spiritus enim meus ſuper mel dulcis, & hereditas mea ſuper mel, & fauum. Memoria mea in generationes ſæculorum. Qui edunt me, adhuc eſurient: & qui bibũt me, ad-



huc ſitient. Qui audit me, non confundetur, & qui operantur in me, non peccabunt. Qui elucidant me, vitam æternam habebunt.

℟. Glorioſæ Virginis Mariæ Conceptionem dignisſimam recolamus. * Cuius Dominus humilitatem reſpexit, quæ Angelo nuntiante cõcepit Saluatorem mundi. ℣. Beatiſsimæ Virginis Mariæ cõceptionem deuotiſsimè celebremus. Cuius Dominus.

Gloria Patri. Cuius.

In ſecundo Nocturno, Añ.

Specie tua, & pulchritudine tua, intende, proſpere procede, & regna.

Pſalmus 44.

ERuctauit cor meum verbum bonum: * dico ego opera mea Regi.

Lingua mea calamus ſcribæ, * velociter ſcribentis.

Specioſus forma præ filijs hominum, diffuſa eſt gratia in labijs tuis: * propterea benedixit te Deus in æternum.

Accingere gladio tuo ſuper femur tuum, * potentiſsime.

Specie tua & pulchritudine tua * intende proſpere procede, & regna.

Propter veritatem, & manſuetudinem, & iuſtitiam: * & deducet te mirabiliter dextera tua.

Sagittæ tuæ acutæ, populi ſub te cadent, * in corda inimicorum Regis.

Sedes tua Deus in ſæculum ſæculi: * virga directionis virga regni tui.

Dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem: * propterea vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis.

Myrrha, & gutta, & caſia à veſtimentis tuis, à domibus eburneis: * ex quibus delectauerunt te filiæ regum in honore tuo.

Aſtitit regina à dextris tuis in veſtitu deaurato: * circumdata varietate.

Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam: * & obliuiſcere populum tuum, & domum Patris tui.

Et concupiſcet Rex decorem tuum: * quoniam ipſe eſt Dominus Deus tuus, & adorabunt eum.

Et filiæ Tyri in muneribus * vultum tuum deprecabuntur omnes diuites plebis.

Omnis gloria eius filiæ Regis ab intus, * in fimbrijs aureis circumamicta varietatibus.

Adducẽtur Regi virgines poſt eam: * proximæ eius afferentur tibi.

Afferentur in lætitia & exultatione: * adducentur in templũ Regis.

Pro patribus tuis nati ſunt tibi filij: * conſtitues eos principes ſuper omnem terram.

Memores erunt nominis tui *

in omni generatione, & generationem.
Propterea populi confitebuntur tibi in æternum, * & in sæculum ſæculi.
Gloria Patri, & Filio.
Añ. Specie tua, & pulchritudine tua intēde, proſpere procede, & regna.
Añ. Adiuuabit eam Deus vultu ſuo: Deus in medio eius, non commouebitur.

Pſalmus 45.

Deus noſter refugium, & virtus: * adiutor in tribulationibus, quæ inuenerunt nos nimis.
Propterea non timebimus dum turbabitur terra: * & transferentur montes in cor maris.
Sonuerunt: & turbatæ ſunt aquæ eorum: * conturbati ſunt montes in fortitudine eius.
Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei: * ſanctificauit tabernaculum ſuum Altiſsimus.
Deus in medio eius, non commouebitur: * adiuuabit eam Deus mane diluculo.
Conturbatæ ſunt gentes, & inclinata ſunt regna: * dedit vocem ſuam, mota eſt terra.
Dominus virtutū nobiſcum: * ſuſceptor noſter Deus Iacob.
Venite, & videte opera Domini, quæ poſuit prodigia ſuper terram: * auferens bella vſque ad finem terræ.
Arcum conteret, & confringet arma: * & ſcuta comburet igni.
Vacate, & videte quoniam ego ſum Deus: * exaltabor in Gentibus, & exaltabor in terra.
Dominus virtutum nobiſcum: * ſuſceptor noſter Deus Iacob.
Gloria Patri, & Filio.
Añ. Adiuuabit eā Deus vultu ſuo: Deus in medio eius, non commouebitur.
Añ. Sicut lætantium omnium noſtrum habitatio eſt in te, ſancta Dei genitrix.

Pſalmus 86.

Fundamenta eius in montibus ſanctis: * diligit Dominus portas Sion ſuper omnia tabernacula Iacob.
Glorioſa dicta ſunt de te, * ciuitas Dei.
Memor ero Rahab, & Babilonis * ſcientium me.
Ecce alienigenæ, & Tyrus, & populus Æthyopum, * hi fuerunt illic.
Numquid Sion dicet: Homo, & homo natus eſt in ea: * & ipſe fundauit eam Altiſsimus?
Dominus narrabit in ſcripturis populorum, & principum, * horum, qui fuerunt in ea.
Sicut lætantium omnium * habitatio eſt in te.
Gloria Patri, & Filio.
Añ. Sicut lætantium omnium noſtrum habitatio eſt in te, ſancta Dei genitrix.
℣. Adiuuabit eam Deus vultu ſuo.
℟. Deus in medio eius non cōmouebitur.
Pater noſter. Abſolutio.
Ipſius pietas. ℣. Iube domne.
Benedictio. Deus Pater omnipotens.
Ex libro ſancti Ambroſij Epiſcopi de Virginibus.
*Lib. 2. ſub initium.* Lectio iv.

Sit vobis tamquam in imagine deſcripta virginitas, vitaque beatæ Mariæ: de qua velut in ſpeculo refulget ſpecies caſtitatis, & forma virtutis. Hinc ſumatis licèt exempla viuendi, vbi tamquam in exemplari magiſteria expreſſa probitatis; quid corrigere, quid effugere, quid tenere debeatis, oſtendunt. Primus diſcendi ardor, nobilitas eſt magiſtri. Quid nobilius Dei matre? Quid ſplendidius ea, quam ſplendor elegit? Quid caſtius ea, quæ corpus ſine corporis contagione generauit?
℟. Conceptio glorioſæ Virginis Mariæ ex ſemine Abrahæ, ortæ de tribu Iudà, clara ex ſtirpe Dauid. * Cuius vita inclyta cunctas illuſtrat Eccleſias. ℣. Hodie cōcepta eſt beata virgo Maria ex progenie Dauid. Cuius.
Benedictio. Chriſtus perpetuæ.

Lectio v.

Nam de cæteris eius virtutibus quid loquar? Virgo erat non ſolum corpore, ſed etiam mente, quæ nullo doli ambitu ſincerum adulteraret affectum. Corde humilis, verbis grauis, animo prudens: loquendi parcior, legendi ſtudioſior, non in incerto diuitiarum, ſed in prece pauperis ſpem reponens: intenta operi, verecunda ſermone, arbitrium mentis ſolita, non hominem, ſed Deum quærere: nullum lædere, benè velle omnibus, aſſurgere maioribus natu, æqualibus non inuidere, fugere iactātiam, rationem ſequi, amare virtutem.
℟. Cum iucunditate Conceptionem beatæ Mariæ celebremus. * Vt ipſa pro nobis intercedat ad Dominū Ieſum Chriſtum. ℣. Corde, & animo Chriſto canamus gloriam in hac ſacra ſolemnitate præcelſæ genitricis Dei Mariæ. Vt ipſa. Benedictio. Ignē ſui amoris.

Lectio vj.

Quādo iſta vel vultu læſit parentes? quādo diſſenſit à propinquis? quādo faſtidiuit humilem? quando deriſit debilem? quando vitauit inopem? Eos ſolos ſolita cœtus virorum inuiſere, quos miſericordia non erubeſceret, neque præteriret verecundia. Ni-

Nihil toruum in oculis, nihil in verbis procax, nihil in actu inuerecundum. Non geſtus fractior, non inceſſus ſolutior, non vox petulantior: vt ipſa corporis ſpecies ſimulacrum fuerit mentis, figura probitatis.

℟. Conceptio tua, Dei genitrix virgo, gaudium annuntiauit vniuerſo mundo. ✠ Ex te enim ortus eſt Sol iuſtitiæ, Chriſtus Deus noſter. * Qui ſoluens maledictionem, dedit benedictionem: & confundens mortem, donauit nobis vitã ſempiternã. ℣. Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus vẽtris tui. Ex te enim. Gloria Patri. Qui ſoluens.

In tertio Nocturno. Añ. Gaude Maria virgo, cũctas hæreſes ſola interemiſti, in vniuerſo mundo.

Pſalmus 95.

CAntate Domino cãticum nouũm: * cantate Domino omnis terra.

Cantate Domino, & benedicite nomini eius: * annuntiate de die in diem ſalutare eius.

Annunciate inter Gentes gloriam eius, * in omnibus populis mirabilia eius.

Quoniam magnus Dominus, & laudabilis nimis: * terribilis eſt ſuper omnes Deos.

Quoniam omnes dij Gentium dæmonia: * Dominus autẽ cælos fecit.

Confeſsio, & pulchritudo in conſpectu eius: * ſanctimonia, & magnificentia in ſanctificatione eius.

Afferte Domino patriæ Gentium, afferte Domino gloriam, & honorem: * afferte Domino gloriam nomini eius.

Tollite hoſtias, & introite in atria eius: * adorate Dominum in atrio ſancto eius.

Commoueatur à facie eius vniuerſa terra: * dicite in Gentibus, quia Dominus regnauit.

Etenim correxit orbem terræ, qui non commouebitur: * iudicabit populos in æquitate.

Lætentur cæli, & exultet terra, commoueatur mare, & plenitudo eius: * gaudebunt campi, & omnia quæ in eis ſunt.

Tunc exultabunt omnia ligna ſiluarum à facie Domini, quia venit: * quoniam venit iudicare terram.

Iudicabit orbẽ terræ in æquitate, * & populus in veritate ſua.

Gloria Patri, & Filio.

Añ. Gaude Maria virgo, cunctas hæreſes ſola interemiſti in vniuerſo mundo.

Añ. Dignare me laudare te, virgo ſacrata: da mihi virtutem contra hoſtes tuos.

Pſalmus 96.

DOminus regnauit, exultet terra: * lætentur inſulæ multæ.

Nubes & caligo in circuitu eius: * iuſtitia, & iudicium correctio ſedis eius.

Ignis ante ipſum præcedet, * & inflammabit in circuitu inimicos eius.

Illuxerunt fulgura eius orbi terræ: * vidit, & commota eſt terra.

Montes ſicut cera fluxerunt à facie Domini, * à facie Domini omnis terra.

Annuntiauerunt cæli iuſtitiam eius: * & viderunt omnes populi gloriam eius.

Confundantur omnes qui adorant ſculptilia: * & qui gloriantur in ſimulacris ſuis.

Adorate eum omnes Angeli eius: * audiuit, & lætata eſt Sion.

Et exultauerunt filiæ Iudæ, * propter iudicia tua Domine.

Quoniam tu Dominus altiſsimus ſuper omnem terram: * nimis exaltatus es ſuper omnes Deos.

Qui diligitis Dominum, odite malum: * cuſtodit Dominus animas ſanctorum ſuorum, de manu peccatoris liberabit eos.

Lux orta eſt iuſto, * & rectis corde lætitia.

Lætamini iuſti in Domino: * & confitemini memoriæ ſanctificationis eius.

Gloria Patri, & Filio.

Añ. Dignare me laudare te, Virgo ſacrata: da mihi virtutem contra hoſtes tuos.



Añ. Angelus Domini nuntiauit Mariæ, & concepit de Spiritu Sancto.

Pſalmus 97.

CAntate Domino canticum nouum: * quia mirabilia fecit.

Saluabit ſibi dextera eius, * & brachium ſanctum eius.

Notum fecit Dominus ſalutare ſuum: * in conſpectu Gentiũ reuelauit iuſtitiam ſuam.

Recordatus eſt miſericordiæ ſuæ, * & veritatis ſuæ domui Iſrael.

Viderunt omnes termini terræ * ſalutare Dei noſtri.

Iubilate Deo omnis terra: * cantate, & exultate, & pſallite.

Pſallite Domino in cithara, in cithara & voce Pſalmi: * in tubis ductilibus, & voce tubæ corneæ.

Iubilate in conſpectu Regis Domini: * moueatur mare, & plenitudo eius, orbis terrarum, & qui habitant in eo.

Flumina plaudent manu, ſimul montes exultabunt à conſpectu Domini: * quoniam venit iudicare terram.

Iudicabit orbem terrarum in iuſtitia, * & populos in æquitate.

Gloria Patri, & Filio.

Añ. Angelus Domini nuntiauit Mariæ, & concepit de Spiritu Sancto.

℣. Elegit eam Deus, & præele-

elegit eam. ℟. In tabernaculo ſuo habitare facit eam.
Pater noſter.
Abſolutio A vinculis.
℣. Iube domne.
Benedictio. Euangelica Lectio.
Lectio ſancti Euangelij ſecundùm Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* 1.

Liber generationis Ieſu Chriſti filij Dauid, filij Abraham. Abraham genuit Iſaac, Iſaac autem genuit Iacob. Et reliqua.

Homilia ſancti Auguſtini Epiſcopi.

*Lib. 2. de Conſenſu Euangeliſt. Cap. 1.*

Matthæus Euāgeliſta ſic orſus eſt. Liber generationis Ieſu Chriſti filij Dauid, filij Abraham. Quo exordio ſuo ſatis oſtendit, generationem Chriſti ſecundum carnem ſe ſuſcepiſſe narrandam. Secundum hanc enim Chriſtus filius hominis eſt : quod etiam ſe ipſe ſæpiſsimè appellat, commendans nobis quid miſericorditer dignatus ſit eſſe pro nobis. Nam illa ſuperna & æterna generatio, ſecundum quam Filius Dei vnigenitus eſt ante omnem creaturam, quia omnia per ipſum facta ſunt, ita ineffabilis eſt, vt de illa dictum à Propheta intelligatur: Generationem eius quis enarrabit?

℟. Beatam me dicent omnes generationes: * Quia fecit mihi Dominus magna qui potens eſt, & ſanctum nomen eius.
℣. Et miſericordia eius à progenie in progenies timentibus eum. Quia fecit.
Benedictio. Cuius feſtum colimus, ipſa Virgo virginum.

Lectio viij.

Exequitur ergo humanam generationē Chriſti Matthæus, ab Abraham generatores commemorans, quos perducit ad Ioſeph virum Mariæ, de qua natus eſt Ieſus. Neque enim fas erat, vt ob hoc eum à coniugio Mariæ ſeparandum putaret, quod non ex eius concubitu, ſed virgo peperit Chriſtum. Hoc enim exemplo magnificè inſinuatur fidelibus coniugatis, etiam ſeruata pari conſenſu continentia, poſſe permanere, vocarique coniugium, nō permixto corporis ſexu, ſed cuſtodito mentis affectu: præſertim quia naſci eis etiam filius potuit ſine vllo complexu carnali, qui propter ſolos gignendos filios adhibendus eſt.

℟. Felix namque es ſacra Virgo Maria, & omni laude digniſsima. * Quia ex te ortus eſt Sol iuſtitiæ. * Chriſtus Deus noſter.
℣. Ora pro populo, interueni pro clero, intercede pro deuoto fœmineo ſexu: ſentiant omnes tuum iuuamē, quicumque celebrant tuam ſanctam Conceptionem. Quia ex te. Gloria Patri Chriſtus. Benedictio. Ad ſocietatem.

Lectio ix. *Cap. 2.*

Cum autem euidenter dicat Apoſtolus Paulus, ex ſemine Dauid ſecundum carnem Chriſtum, ipſam quoque Mariam de ſtirpe Dauid aliquam conſanguinitatem duxiſſe, dubitare vtique non debemus. Cuius fœminæ quoniam nec ſacerdotale genus tacetur, inſinuante Luca quod cognata eius eſſet Eliſabeth, quam dicit de filiabus Aaron: firmiſſimè tenendum eſt, carnem Chriſti ex vtroque genere propagatam, & regnum ſcilicet, & ſacerdotum, in quibus perſonis apud illum populum Hebræorum etiam myſtica vnctio figurabatur, id eſt chriſma, vnde Chriſti nomen elucet, tantò ante etiam iſta euidentiſſima ſignificatione prænuntiatum.

Te Deum laudamus.

## AD LAVDES,

& per horas, Antiphona.

Conceptio glorioſæ Virginis Mariæ, ex ſemine Abrahæ, orta de tribu Iudà, clara ex ſtirpe Dauid.
Pſalmus Dominus regnauit. cum reliquis de Laudibus.
Aña. Conceptio eſt hodie ſanctæ Mariæ Virginis, cuius vita inclyta cunctas illuſtrat Eccleſias.
Aña. Regali ex progenie Maria exorta refulget, cuius precibus nos adiuuari mente, & ſpiritu deuotiſsimè poſcimus.
Aña. Corde & animo Chriſto canamus gloriam, in hac ſacra ſolemnitate, præcelſæ genitricis Dei Mariæ.
Aña. Cum iucunditate Conceptionem beatæ Mariæ celebremus, vt ipſa pro nobis intercedat ad Dominum Ieſum Chriſtum.

Capitulum. *Eccleſ. 24. b*

Ab initio, & ante ſæcula creata ſum, & vſque ad futurum ſæculum nō deſinam, & in habitatione ſancta coram ipſo miniſtraui.

Hymnus.

O Glorioſa Virginum,
Sublimis inter ſidera,
Qui te creauit, paruulum
Lactente nutris vbere:
Quod Heua triſtis abſtulit:
Tu reddis almo germine:
Intrent vt aſtra flebiles,
Cæli recludis cardines.
Tu Regis alti ianua,
Et aula lucis fulgida:
Vitam datam per Virginem
Gentes redemptæ plaudite.
Ieſu, tibi ſit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre, & almo Spiritu,
In ſempiterna ſæcula. Amē.

℣. Conceptio eſt hodie ſanctæ Mariæ Virginis.
℟.

℞. Cuius vita inclyta cunctas illuſtrat Eccleſias.

Ad Benedictus, Aña.

Conceptionem hodiernam perpetuæ Virginis genitricis Dei Mariæ ſolemniter celebremus, qua celſitudo throni proceſsit, Alleluia.

Famulis tuis, quæſumus Domine, celeſtis gratiæ munus impertire: vt quibus beatæ Virginis partus extitit ſalutis exordium, Conceptionis eius votiua ſolemnitas, pacis tribuat incrementum. Per Dominum noſtrum.

Deinde fit commem. Feriæ.

Ad Primam in ℞. breui dicitur ℣. Qui natus es de Maria Virgine.

Ad Tertiam, Antiphona. Cõceptio eſt hodie. Capitulum. Ab initio, vt ſuprà.

℞. breu. Specie tua. * Et pulchritudine tua, Specie tua.

℟. Intende, proſpere procede, & regna. Et pulchritudine.

Gloria Patri. Specie tua.

℣. Adiuuabit eam Deus vultu ſuo. ℟. Deus in medio eius, nõ commouebitur.

Ad Sextam, Aña. Regali ex progenie.

Capitulum. *Eccl 24. b*

Et ſic in Sion firmata ſum, & in ciuitate ſanctificata ſimiliter requieui, & in Ieruſalem poteſtas mea: & radicaui in populo honorificato, & in parte Dei mei hereditas illius, & in plenitudine ſanctorum detentio mea.

℞. breue. Adiuuabit eam. Deus vultu ſuo. * Adiuuabit.

℣. Deus in medio eius non commouebitur. * Deus vultu.

Gloria. Adiuuabit eam.

℣. Elegit eam Deus, & præelegit eam.

℞. In tabernaculo ſuo habitare facit eam.

Ad Nonam, Aña. Cum iucunditate.

Capitulum. *Eccl. 24 b*

In plateis, ſicut cinnamomum & balſamum aromatizans odorem dedi: quaſi myrrha electa dedi ſuauitatem odoris.

℞. breue. Elegit eam Deus. Et præelegit eam. Elegit.

℣. In tabernaculo ſuo habitare facit eam. Et præelegit.

Gloria Patri. Elegit.

℣. Diffuſa eſt gratia in labijs tuis.

℞. Propterea benedixit te Deus in æternum.

In ſecundis Veſperis omnia, vt in primis Veſperis.

Ad Magnificat, Antiphona.

Conceptio tua, Dei genitrix, virgo, gaudiũ annuntiauit vniuerſo mundo: ex te enim ortus eſt Sol iuſtitiæ, Chriſtus Deus noſter: qui ſoluens maledictionem, dedit benedictionem: & confundens mortem, donauit nobis vitam ſempiternam.

Deinde



Deinde fit commemor. Sanctæ Leocadiæ.

Aña. Veni ſponſa Chriſti, accipe coronam, quam tibi Dominus præparauit in æternum.

℣. Specie tua, & pulchritudine tua.

℞. Intẽde, proſpere procede, & regna.

Oratio.

Beatæ Leocadiæ virginis, & martyris tuæ, quæſumus Domine, precibus, & meritis adiuuemur: vt quæ pro tui nominis confeſsione carceres, & mortẽ pertulit, ſuo nos patrocinio ab æterno carcere defendat. Per Dominum.

Poſteà de Feria occurrente.

## DIE IX. DECEMBRIS.

Fit de S. Leocadia virgine & martyre. Duplex, cum commemoratione octauæ Conceptionis, & Feriæ, in Laudibus; & in ſecũdis veſperis cum cõmemoratione octauæ, & Feriæ, & ſancti Melchiadis Papæ, & Martyris.

## DIE X. DECEMBRIS.

Tertia die de intraoctaua Conceptionis beatæ Mariæ.

In primo Nocturno leguntur lectiones de Scriptura occurrente.

In ſecundo Nocturno.

Sermo ſancti Auguſtini Epiſcopi. Lectio IV.

*Serm. 18. de Sanctis, in medio.*

Exultat Maria, & matrem ſe læta miratur, & de Spiritu Sancto ſe peperiſſe gaudet: nec quia peperit innupta, terretur: ſed quia genuerit, cum exultatione miratur. O fœmina ſuper fœminas benedicta, quæ virum omnino non nouit, & virum ſuo vtero circumdedit. Circumdat virum Maria Angelo fidem dando, quia Heua perdidit virum ſerpenti conſentiendo. O felix obedientia, ò inſignis gratia: quæ dum fidem humiliter dedit, cœli in ſe opificem corporauit. Hinc promeruit gloriam, quam ipſa poſtmodum hauſit. Ecce, ait, ex hoc beatam me dicent omnes generationes.

℞. Conceptio glorioſæ.

Lectio V.

O Beata Maria, quis tibi dignè valeat iura gratiarum ac laudem præconia rependere, quæ ſingulari tuo aſſenſu, mundo ſuccurriſti perdito? Quas tibi laudes fragilitas humani generis perſoluat, quæ ſolo tuo commertio recuperandi aditum inuenit? Accipe itaque quaſcumque exiles, quaſcumque meritis tuis impares gratiarum actiones, & cum ſuſceperis vota, culpas noſtras orando excuſa. Admitte noſtras preces intra ſacrarium exauditionis, & reporta nobis antidotum reconciliationis.

℞. Cum iucunditate.



Le-

Lectio vi.

Sit per te excuſabile, quod per te ingerimus: fiat impetrabile, quod fidamente poſcimus. Accipe quod offerimus, redona quod rogamus, excuſa quod timemus: quia tu es ſpes vnica peccatorum. Per te ſperamus veniam delictorum, & in te beatiſsima noſtrorum eſt expectatio præmiorum. Sancta Maria, ſuccurre miſeris, iuua puſillanimes, refoue flebiles, ora pro populo, interueni pro clero, intercede pro deuoto fœmineo ſexu, ſentiant omnes tuum iuuamen, quicumque celebrant tuam ſanctam Conceptionem.

℟. Conceptio tua.

In tertio Nocturno.

Lectio ſancti Euangelij ſecundùm Matthæum.

Lectio vii. *Cap. 1.*

Liber generationis Ieſu Chriſti, filij Dauid, filij Abraham. Abraham genuit Iſaac. Iſaac genuit Iacob. Et reliqua.

Homilia ſancti Hieronymi Presbyteri.

***Lib. 1. Comment. in Matth. in initio.***

IN Iſaia legimus: Generationem eius quis enarrabit? Non ergo putemus Euangeliſtam Prophetæ eſſe cōtrarium, vt quod ille impoſsibile dixit affatu, hic narrare incipiat: quia ibi de generatione diuinitatis, hic de incarnatione eſt dictum. A carnalibus autem cœpit, vt per hominem Deum dicere incipiamus. Filij Dauid, filij Abraham. Ordo præpoſterus, ſed neceſſariò commutatus. Si enim primum poſuiſſet Abraham, & poſteà Dauid, rurſus ei repetendus fuerat Abraham, vt generationis ſeries texeretur.

℟. Beatam me dicent.

Lectio viii.

IDeo autem cæteris prætermiſsis horum filium nuncupauit, quia ad hos tantum facta eſt de Chriſto repromiſsio ad Abrahā. In ſemine, inquit, tuo benedicentur omnes gentes, quod eſt Chriſtus: Ad Dauid: De fructu ventris tui portam ſuper ſedem tuam. Iudas autem genuit Phares, & Zaram de Thamar. Notandum, in genealogia Saluatoris, nullā ſanctarum aſſumi mulierum, ſed eas quas Scriptura reprehendit: vt, qui propter peccatores venerat, de peccatoribus naſcens, omnium peccata deleret. Vndè & in conſequentibus Ruth Moabitis ponitur, & Bethſabee vxor Vriæ.

℟. Felix namque es.

Lectio ix.

IAcob autem genuit Ioſeph. Hunc locum obiecit nobis Iulianus Auguſtus diſſonantiæ Euangeliſtarum, cur Euangeliſta Matthæus Ioſeph dixerit filium Iacob, & Lucas eum filium appellarit Heli: non intelligens conſuetudinem ſcripturarum, quod alter ſecundùm naturam, alter ſecundum legem ei pater ſit. Scimus enim hoc per Moyſem, Deo iubente, præceptū, vt ſi fratres, aut propinquus abſque liberis mortuus fuerit, alius accipiat vxorem ad ſuſcitandum ſemen fratris, vel propinqui ſui. Ioſeph virum Mariæ. Cum virum audieris, ſuſpicio tibi non ſubeat nuptiarum: ſed recordare conſuetudinis ſcripturarum, quod ſponſi viri, & ſponſæ vocentur vxores.

Te Deum laudamus.

In Laudibus fit commemoratio Feriæ, & S. Melchiadis Papæ, & Martyris.

In ſecundis Veſperis à cap. fit de S. Damaſo Papa, & Confeſſore, cum commemoratione Octauæ Conceptionis & Feriæ.

## DIE XI. DECEMBRIS.

Fit de S. Damaſo Papæ & Confeſſore, Semiduplex, cum commemoration. Octauæ Conceptionis, Feriæ, in Laudibus.

In ſecundis Veſperis à Capitulo fit de Octaua Conceptionis Beatæ Mariæ, cum commem. S. Damaſi, & Feriæ.

## DIE XII. DECEMBRIS.

Quinta die infra Octauā Conceptionis B. M.

In primo Nocturno leguntur Lectiones de Scriptura occurr.



In ſecundo Nocturno.

Sermo S. Bernardi Abbatis.

***Serm. in c. 12. Apoc. ante med.***

Lectio iv.

NOuum fecit Dominus ſuper terram, vt mulier circumdaret virum, nec alium quā Chriſtum, de quo dicitur: Ecce vir, Oriens nomen eius. Nouum quoque fecit in cœlo, vt mulier ſole appareret amicta. Denique, & coronauit eū, & viciſsim ab eo meruit coronari. Egredimini filiæ Sion, & videte Regem Salomonem in diademate, quæ coronauit eum mater ſua. Verum hoc aliàs. Interim ſane ingredimini magis, & videte Reginam in diademate, quo coronauit eam Filius ſuus. In capite, inquit, eius corona ſtellarum duodecim.

℟. Conceptio glorioſæ.

Lectio v.

DIgnum planè vellis coronari caput, quod & ipſis longè clarius micans, ornet eas potius, quàm ornetur ab eis. Quidni coronet ſidera, quam ſol veſtit? Sicut dies verni circumdabant eam flores roſarum, & lylia conuallium. Nimirum læua ſpōſi ſub capite eius, & iam dextera illius amplexatur eam. Quis illas æſtimet gemmas, quis ſtellas nominet, quibus Mariæ regium diadema compactum eſt?

℟. Cum iucunditate.

Lectio vi.

QVid ergo ſiderum micat in generatione Mariæ? Plane quod ex regibus orta, quod ex ſemine Abrahæ, quod generoſa ex ſtirpe Dauid. Si id parum videtur: adde quod generationi illi ob ſingulare priuilegium ſanctitatis diuinis neſcitur eſſe conceſſa: quod longè ante eiſdem patribus cælitus repromiſſa, quod myſticis præfigurata miraculis, quod oraculis prænuntiata propheticis. Hanc enim Sacerdotalis virga, dum ſine radice floruit: hanc Gedeonis vellus, dum in medio ſiccæ areæ maduit: hanc in Ezechielis viſione orientalis porta, quæ nulli vnquam patuit, præſignabat.

℟. Conceptio tua.

In tertio Nocturno.

Lectio ſancti Euangelij ſecundùm Matthæum.

Lectio vii. *Cap.* 1.

LIber generationis Ieſu Chriſti, filij Dauid, filij Abraham. Abraham genuit Iſaac. Iſaac autem genuit Iacob. Et reliqua.

De Homilia S. Hilarij Epiſcopi.

*Comment. in Matth. Cap.* 1.

NOn refert, quis in originis numero, atque ordine collocetur, dummodo vniuerſorum familia cœpta eſſe intelligatur ab vno. Itaque cum eiuſdem tribus ſint Ioſeph & Maria, dum profectus eſſe ex Abrahæ genere Ioſeph oſtenditur, profecta quoque docetur & Mariæ. Hæc enim in lege ratio ſeruata eſt, vt ſi mortuus ſine filijs familiæ princeps fuiſſet defuncti, vxorem poſterior frater eiuſdem cognationis acciperet, ſuſceptoſque filios in familiam eius qui mortuus eſſet, referret: maneretque ita in primogenitis ſucceſsionis ordo, cum patres eorum, qui poſt ſe nati eſſent, aut nomine haberentur, aut genere.

℟. Beatam me dicent.

Lectio viii.

COnſequens illud eſt, vt quia diximus ſecundùm rerum fidē generationis iſtius ordinem, nec numero ſibi, nec ſucceſsione cōſtare, huius quoque rei ratio afferatur. Non enim leuis cauſa eſt, vt aliud in narratione fit, aliud fuerit in geſtis; & aliud referatur in ſumma, aliud verò teneatur in numero. Namque ab Abraham vſque ad Dauid quatuordecim generationes numeratæ ſunt: & à Dauid vſque ad tranſmigrationem Babilonis in quibuſdam libris decem & ſeptem deprehenduntur. Sed in hoc non mendacij, aut negligentiæ vitium eſt: tres enim ratione præteritæ ſunt. Nam Ioras genuit Ochoziam, Ochozias verò genuit Ioam, Ioas

deinde



deinde Amaſiam, Amaſias autem Oziam, & in Matthæo Ioras Oziam genuiſſe ſcribitur, cum quartus ab eo ſit: hoc ita, quia ex Gentili fœmina Ioras Ochoziam genuit, ex Acab, ſcilicèt, qui Iezabel habuit vxorem, ℟. Felix namque.

Lectio ix.

DEnique per Prophetam nōniſi quarta generatione in throno regio Iſraelis quemquā de domo Achab eſſe ſeſſurum dicitur. Purgata igitur labe familiæ gētilis tribus, quæ præteritis iam regulis, in quarto generationum conſequentium ordine numeratur, & vſque ad Mariam generationis quatuordecim eſſe ſcribuntur, cum in numero decem & ſeptem reperiantur, nullus error eſſe poterit, ſcientibus nō eam ſolum eſſe Domino noſtro Ieſu Chriſto originem, quæ cœpit ex Maria: ſed in procreatione corpora, natiuitatis æternæ ſignificantiam comprehendi.

Te Deum laudamus.

Veſperæ dicuntur de ſancta Lucia Virgine, & Martyre, cū commemor. Octauæ Conceptionis B. Mariæ, & Feriæ.

## DIE XIII. DECEMBRIS.

Fit de S. Lucia Virgine, & martyre. Duplex. Cum commemor. Octauæ Conceptionis B. Mariæ, & Feriæ in Laudibus & Veſperis.

## DIE XIV. DECEMBRIS.

Septima die infra Octauam Conceptionis B. Mariæ.

In primo Nocturno, lectiones de Scriptura occurrente.

In ſecundo Nocturno.

Sermo S. Ioan. Chryſoſtomi.

*Apud Metaphraſt.* Lectio iv.

DEi filius non diuitem, aut locupletem aliquam fœminam ſibi matrem elegit, ſed beatam Virginem illam, cuius anima virtutibus ornata erat. Cum enim beata Maria ſupra omnem humanam naturam caſtitatem ſeruaret, propterea Chriſtum Dominum in vtero concepit. Ad hanc igitur ſanctiſsimam Virginem, & Dei matrem accurrentes, eius patrocinijs vtilitatem aſſequamur. Itaque quæcumque eſtis Virgines, ad matrem Domini confugite. Illa enim pulcherrimam, precioſiſsimam, & incorruptibilem poſſeſsionem patrocinio ſuo vobis conſeruabit.

℟. Conceptio glorioſæ.

Lectio v.

MAgnum reuera miraculum, fratres dilectiſſimi, fuit beata ſemper Virgo Maria. Quid namque illa, maius aut illuſtrius vllo vmquam tempore inuentū eſt, ſeu quam aliquando inuenire poterit? Hæc ſola cœlum, ac terram amplitudine ſuperauit. Quid-

nam

nam illa ſanctius? Non Prophetæ, non Apoſtoli, non Martyres, non Patriarchæ, non Angeli, non Throni, non Dominationes, non Seraphim, non Cherubim, non denique aliud quidpiam inter creatas res viſibiles, aut inuiſibiles maius, aut excellentius inueniri poteſt. Eadem ancilla Dei eſt, & Mater: eadem virgo, & genitrix.

℟. Cum iucunditate.

Lectio vi.

HÆc eius Mater eſt, qui à Patre ante omne principium genitus fuit, quem Angeli, & homines agnoſcunt Dominum rerum omnium. Vis ne cognoſcere quantò Virgo hæc præſtantior ſit cæleſtibus potentijs? Illi cum timore, & tremore aſsiſtunt, faciem velãtes ſuam: hæc humanum genus illi offert, quem genuit. Per hanc & peccatorum veniã conſequimur. Aue igitur Mater, cælum, puella, virgo, thronus, Eccleſiæ noſtræ decus, gloria, & firmamentum, aſsiduè pro nobis precare Ieſum Filium tuum, & Dominum noſtrum: vt per te miſericordiam inuenire in die iudicij, & quæ repoſita ſunt ijs, qui diligunt Deum, bona conſequi poſsimus, gratia, & benignitate Domini noſtri Ieſu Chriſti cuique ſit, & Patri ſimul, & ſancto Spiritui gloria, honor, & imperiũ nunc, & ſemper in ſæcula ſæculorum. Amen.

℟. Conceptio tua.

In tertio Nocturno.

Lectio ſancti Euangelij ſecundùm Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* 1.

LIber generationis Ieſu Chriſti, filij Dauid, filij Abraham. Abraham genuit Iſaac. Iſaac autem genuit Iacob. Et reliqua.

Homilia S. Ioannis Chryſoſtomi.

*Homil. 2. in Matth. poſt initium.*

AVditu quidem mirabile eſt, quod ineffabilis Deus, & qui nec ſermonibus explicari poteſt, nec cogitationibus comprehendi. Patrique per omnia coæqualis, per Virginis ad nos venit vterum, & fieri ex muliere dignatus eſt, & habere progenitores Dauid, & Abraham: & quid dico, Dauid & Abraham: etiam illas, quod magis ſtupendum eſt, fœminas, quas paulò ante memoraui. Hæc igitur audiens mente conſurge, nihilque humile ſuſpiceris, ſed potius propter hoc ipſum maximè mirare, quia cum verus, & dilectus Filius ſit ſempiterni Dei, etiam filius Dauid eſſe dignatus eſt modo, vt te filium facere Dei: ſeruum patrem habere dignatus eſt, vt tibi ſeruo patrem faceret ipſum Deum.

℟.



℟. Beatam me dicent.

Lectio viij.

VIdes ab ipſo ſtatim principio, quam læta ſint hac nuntia. Quod ſi ambigis de his, quæ ad tuum ſpectant honorẽ, ab ijs quæ illius ſunt, etiam tua diſce credere. Quantum enim conſequi poteſt humana ratio, multò eſt difficilius Deum hominem fieri, quam hominem Dei Filium conſecrari. Cum ergo audieris, quia Filius Dei, filius ſit & Dauid & Abrahæ: dubitare iam deſine, quod & tu, qui filius es Adæ, futurus ſis filius Dei. Non enim ſemetipſum ita humiliaſſet, niſi nos eſſet exaltaturus. Natus eſt enim ſecundùm carnem, vt tu naſcerere ſpiritu: natus eſt ex muliere, vt tu deſineres filius eſſe mulieris.

℟. Felix namque.

Lectio ix.

PRopterea duplex facta generatio eſt, hæc ſcilicet, noſtræ ſimilis, illa noſtram eminenter excedens. Quod enim natus ex fœmina eſt, & nobis competit: quod verò nõ ex voluntate carnis, & viri, ſed ex Spiritu Sancto, aliam nobis ſublimiorem, futuramque, & ſpiritu conſequendam generationem promittit. Sed alia quoque omnia ex ſimili diuerſitate cõſtabant. Nam & baptiſma profecto tale ſuſcepit, quod haberet quidam aliquid veteris, haberet & noui: quod enim baptizans eſt à Propheta, expreſſit vetus: quod autem deſcendit Spiritus, adumbrauit nouum.

Te Deum laudamus.

Veſperæ diei Octauæ Conceptionis Beatæ Mariæ. Omnia, vt in primis Veſper. Feſti. Cum commemorat. Fer. & S. Euſebij Epiſcopi, & Martyris.

## DIE XV. DECEMBRIS.

Octaua Conceptionis Beatæ Mariæ, Duplex.

Lectiones primi Nocturni, leguntur de Scriptura occurrente.

In ſecundo Nocturno.

De Expoſitione S. Gregorij Papæ in libros Regum.

*In 1. Regum 1.* Lectio iiij.

FVit vir vnus de Ramathaim Sophim, de monte Ephraim. Poteſt montis nomine beatiſsima ſemper Virgo Maria, Dei genitrix, deſignari. Mons quippè fuit, quæ omnem electæ creaturæ altitudinem, electionis ſuæ dignitate tranſcendit. An non mons ſublimis Maria, quæ, vt Conceptionem æterni Verbi pertingeret, meritorum verticem ſupra omnes Angelorum choros, vſque ad ſolium Deitatis erexit? Huius enim montis præcellentiſsimã dignitatem Iſaias vaticinans ait: Erit in nouiſsimis diebus præparatus mons domus Domini

mini

mini in vertice montium. Mons quippè, in vertice montium fuit, quia altitudo Mariæ ſupra omnes ſanctos refulſit.

℟. Conceptio glorioſæ.

Ex Epiſtola S. Leonis Papæ ad Pulcheriam Auguſtam.

*Epiſt. 13. ante med.*

Lectio v.

SAcramentum recõciliationis noſtræ ante tẽpora æterna diſpoſitum, nullæ implebant figuræ: quia nondum ſuperuenerat Spiritus Sanctus in Virginem, nec virtus Altiſsimi obumbrauerat ei, vt & intra intemerata viſcera, ædificante ſibi Sapientia domum, Verbum caro fieret; & forma Dei, ac forma ſerui in vnam conueniente perſonam, Creator temporum naſceretur in tempore, & per quem facta ſunt omnia, ipſe inter omnia gigneretur. Niſi enim nouus homo, factus in ſimilitudinem carnis peccati, noſtram ſuſciperet vetuſtatẽ, & conſubſtantialis Patri conſubſtantialis eſſe dignaretur & Matri, naturamque ſibi noſtrã ſolus à peccato liber vniret; ſub iugo diaboli generaliter teneretur humana captiuitas.

℟. Cum iucunditate.

De Expoſitione S. Baſilij Epiſcopi in Iſaiam Prophetam.

*In cap 8. poſt initium.*

Lectio vj.

ACceſsi, inquit, ad Prophetiſſam, in vtero accepit, & peperit Filium. Quod Maria Prophetiſſa fuerit, ad quam proximè acceſsit Iſaias per prænotionem ſpiritus, nemo contradixerit, qui ſit memor verborum Mariæ, quæ Prophetico afflata ſpiritu; elocuta eſt, quid enim ait? Magnificat anima mea Dominum, & exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo: quia reſpexit humilitatẽ ancillæ ſuæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Quod ſi animum accõmodaueris vniuerſis eius verbis, non vtique contentioſe negaueris eam fuiſſe Prophetiſſam, quod Domini ſpiritus in eam ſuperuenerit, & virtus Altiſsimi obumbrauerit ei.

℟. Conceptio tua.

In tertio Nocturno.

Lectio S. Euangelij ſecundùm Matthæum.

Lectio vij. *Cap. 1.*

LIber generationis Ieſu Chriſti filij Dauid, filij Abraham. Abraham genuit Iſaac. Iſaac autem genuit Iacob. Et reliqua.

De Homilia S. Ioannis Chryſoſtomi.

DVo ſunt, quæ pariũt quæſtionẽ. Vnum, quæ cauſa ſit, vt in generationum cathalogo virgo ſileatur: alterum verò, qua ratione Ioſeph memoretur, & cui certè nihil cum Chriſti generatione eſt com-





mune. Videtur enim, & vnum abundare, & alterum deeſſe. Quid ergo dicemus? Quod vſque primum illud neceſſe fuerat memorari, quemadmodum ex Dauid Virgo deſcenderit. Vnde hoc itaque diſcemus? Audi ad Gabriel loquentem Dominum: Vade ad Virginem deſponſatam viro, cui nomen Ioſeph, ex domo & familia Dauid. Quid vis audire manifeſtius; cum ex domo & familia Dauid illam Virginem eſſe cognoſcas?

℟. Beatam me dicent.

Lectio viij.

NOn erat mos apud Hæbræos generationum cathalogum per fœminas texere. Vt ergo & morem cuſtodiret, ne in ipſo ſtatim principio videretur antiqua deſtruere: & nobis Virginem certius indicaret: parentes eius reticens, atque maiores, de Ioſeph generatione non tacuit: ſiue enim hæc feciſſet in Virgine, nouitatis non effugiſſet inuidiam: ſiue Ioſeph reticuiſſet, non agnoſceremus ex qua tribu Virgo ſubſiſteret. Vt ergo & nos diſcerneremus, quæ eſſet Maria, vel vnde, & conſuetudo legis permaneret immobilis; generationum cathalogum vſque ad ſponſum eius perduxit, ac de modo illum Dauid eſſe monſtrauit.

℟. Felix namque.

Lectio ix.

HOC enim declarato; illum quoque pariter oſtẽdit, quod ſcilicèt inde eſſet & virgo; quia vtique nequaquam iuſtus iſte pateretur vxorem ſibi aliundè, quam vnde lex præcipiebat, eligere. Poſſumus verò aliam quoque, & altiorem quidem proferre rationem, ob quam parentes Virginis prætermiſsi ſunt: ſed quæ ea eſt? Noluit Euangeliſta, recenti adhuc tempore noui illius, admirandique partus Iudæis eſſe manifeſtum, quod Chriſtus natus fuiſſet ex Virgine. Neque proprius noſter hic ſermo eſt, ſed à nobis de Patrum, atque inſignium virorum traditione ſuſceptus.

Te Deum laudamus.

*In Laudibus, fit commemoratio. Feriæ, & ſancti Euſebij Epiſcopi, & Martyris, & in Veſperis commemoratio Feriæ.*

# DE FESTO PATROCINII B. MARIÆ VIRG.

FEſtum Patrocinij B. Mariæ Virg. ex conceſsione S.D.N. Alexandri VII. celebratur in Regnis Hiſpaniæ in vna dierum huius menſis (ab Ordinarijs locorũ aſsignanda ſingulis annis) ſub ritu duplici. Officium, & Miſſa vt in feſto S. Mariæ ad Niues, die 5. Auguſti, exceptis lectionib. 2. Noct. quæ ſumuntur ex 5. die Natiuit. B. Mar. Dei Filius 12. Sept. in Miſſa Credo.

Conceditur indulgentia plenar. & remiſsio omnium peccatorum aſsiſtentibus Miſſæ principali, dummodo confeſsi, & communicati ſint, & orent pro concordia Chriſtianorum Principum, extirpatione hæreſum, & Exaltatione S. Matris Eccleſiæ.

# ADVERTENCIA PARA LA DIOCESIS de Toledo.

*Del Patrocinio de nueſtra Señora en el Arçobiſpado de Toledo, ſe celebra en la ſegunda Dominica de Nouiembre.*

*POR particular Priuilegio de N. M. Santo P. Vrbano VIII. deſpachado à 29. de Abril de 1634. ſe ha de rezar de la Expectacion de N. S. cayendo en la Dominica quarta de Aduiento, con la nona leccion de la Homilia, y conmemoracion de la Dominica.*

*En la fieſta de la Concepcion, que ſe celebra à ocho de Diziembre, en las ſegundas Viſperas en que concurre Santa Leocadia, ſon todas las Viſperas de la Concepcion con conmemoracion de Santa Leocadia.*

*En la fieſta de la Deſcenſion de nueſtra Señora, que ſe celebra à 24. de Enero, con oficio de ſegunda claſſe, las primeras viſperas deſta feſtiuidad, que ſe celebran en el dia de San Ileſonſo, ſon todas de la Deſcenſion de nueſtra Señora, con conmemoracion de San Ileſonſo.*

# FACVLTAS.

*NOS Lic. Ioſeph Gonçalez, Æques militiæ S. Iacobi Spathæ, à Conſilijs Catholicæ Maieſtatis, eiuſquè Cameræ, ac Status Caſtellæ, necnon Sanctæ, & Generalis Inquiſitionis, ac etiam Commiſſarius Generalis Apoſtolicus S. Cruciatæ, cæterarumque gratiarum per ſanctiſsimum D. N. Alexandrum Papam VII. in omnibus Regnis, & dominijs Hiſpaniarum, &c. Necnon circa librorum, diuinique Officij impreſsionem, taxam, & diſtributionem Iudex Apoſtolicus, & Regius. Tenore præſentium licentiam impartimur Matthæo Fernandez Regio Typographo, vt excudere poſsit Officia noua Sanctorum cum octauis. Matriti die 3. Octobris 1667.*

Por mandado de ſu S. Iluſtriſsima.

*D. Alonſo de Lugones.*